





1.  
16.  
5.  
2.  
3.  
16.  
1.  
16.  
1.  
2.  
3.  
16.  
16.  
1.





1645

1. Wibelius, Frachisius: De adulterio

1647.

1. Wibelius, Frachisius: De beneficio competentiae

2. Wibelius, Frachisius: De retractu conventionali.

3. Wurmserus, Johannes: De jure aggravandi

1648

1. et Grubertus, Wolfgangus Qualterus: De Transmissionibus.

2 Exempl.

1649.

1. Lauterbach, Wolfgang Adamus: De contractibus in genere.

2. Wibelius, Frachisius: De poenitentia juris.

3. Wurmserus, Johannes: De testamentis privilegiatis

sen minus solemnibus.

1650

1. Lauterbach, Wolfgang Adamus: De inventaris hereditatis

1651.

1. Grubertus, Wolff. Qualterus: De jure et contractu employten.

Fico



1651.

2. Inubermus, Wolff. Qualiterus: De regalibus.
3. Wagnemus, Georg Fridericus: De allegationibus.

1652

1. Lanterbach, Wolfgang Adam: De usufructu Paternis
2. Lanterbach, Wolfgang Adam: De legitimatione per sub.  
sequens matriconium.
3. Warmusius, Johannes: De regali vectigalium jure.

1653

1. Lanterbach, Wolfgang Adam: De donationibus  
propter nuptias.
2. Lanterbach, Wolfgang Adam: De testamentis judiciali
3. Lanterbach, Wolfgang Adam: De separatione  
29. Sept. 1653: 1754.
4. Lanterbach, Wolfgang Adam: De transiitione actionum



ab.  
e.  
o  
als  
von





1642

Landmann, Wolf, ...  
Magister, ...

1643

Landmann, ...  
Landmann, ...  
Magister, ...

1644

Landmann, ...  
Landmann, ...  
Landmann, ...  
Landmann, ...  
Landmann, ...













MUSICA CRISTO  
DIE...

AD...

University of Cambridge, 7C<sup>th</sup> Gallery

DR. JOACHIMO WIBELTO,  
IC ET ANTECESSORE INCLYTAE  
HUIUS UNIVERSITATIS CELEBER.  
MEM. DE PLACITO ET BARONO  
SUI...

Johann...

Philipp...

...









Seite 65 / fehler!

6. 81

*M.*

1647.1.

2

81

Ipsa Iustitia Præside,  
DISPUTATIO INAUGURALIS,  
DE

BENEFICIO COMPETENTIÆ,  
JUSSU ET AUTORITATE

Magnifici ac Amplissimi Ictorum ordinis in perantiqua ac  
celeberrima Tubingensium Vniuersitate,

MODERATORE

*Magnifico, Amplissimo & Consultissimo*

DN. JOACHIMO WIBELIO, Icto, Crimi-  
narium Sanctionum & feudal. placit. Professore, Supremi Ducatus Wür-  
tembergici Tribunalis Adfessore dignissimo, & p. t. Rectore Magnifico  
ac Iuridicæ Facultatis Decano, Fautore & Promotore suo  
maximè honorando

*Pro*

Summis in utroq; jure honoribus ac privilegijs ritè ac  
legitimè consequendis,

*In Aula Nova, Die Decembr.  
hor. consuet.*

Publico Eruditorum examini  
subjecta

à

WOLFGANGO ADAMO *Lauterbach*/  
Schleitzâ Varisco.

Tubingæ, Typis

PHILIBERTI BRUNNI,

M. DC. XLVII.

*W. Lauterbach  
Schleitzâ  
No. 1. 6. 17.*









(3)



P R Æ F A T I O.

**D**Urumtelum paupertas. Durissimum pauperem esse debitorem. Quàm dura, quàm deploranda semper eorum extiterit conditio, qui ære alieno gravati, solvendo esse desierunt, nemo est, qui ignorat. Rigidas ac severas leges de illis Draco, Atheniensium Legislatores, constituit. Romani illas ab Atheniensibus sunt mutuati. Equidem quamvis Solon, in determinandis pœnis magis remissus, durum illud jus antiquaverat: Romani tamen, repudiata Solonis sententiâ, retinuerunt Draconis acerba instituta. Hinc secundum LL. 12. Tabularum, debitores obæratos, in vincula coniectos, venum exponere, & si plures creditores, illorum corpora in partes secta, partiri licebat, adeo ut omnis benignitas atque clementia erga debitores, (retentâ vulgari lectione ap. Gell. *lib. 20. Noct. Attic. cap. 1.*) interdicta videatur. Ad Asyla itaque confugiebant, securitatem adversus creditores quærentes, Tacit. *lib. 3. ann. c. 60. num. 2.* Germani, fidei observantissimi, Tacit. *lib. 13. annal. c. 54. n. 5.* haud multum benigniores observant mores, obæratos creditoribus adiudicantes. Der Schuldner wird seinen gläubigern an die Hand vnd Halffter gegeben / biß er die Schuld leß arbeite / Landr. *lib. 3. art. 39.* hocque non solum in foro Saxonico communi, sed & in Galliâ, Hispaniâ & Florentinæ adhuc

A ij

vigere,



vlgere, testantur Dd. ap. Arumæ: *vol. 3. de jur. publ. discurs. 4. concl. 11. th. 5.* quod Lubecenses quoque speciali statutô approbarunt, *lib. 1. tit. 3. art. 1.* Sævam atrocitatem Muscovitarum ex Alex. Guagn. *de script. Muscovit. cap. 4.* recenset Autor ap. Arumæ. *d. disc. 4. concl. 12. pag. 170.* Nec in Republ. Israëliticâ defunt exempla, quibus de illorum misera conditione docemur, *Lev. 25. vers. 39. 4. Reg. cap. 4. vers. 1. 2. Esdræ cap. 5.* Cæterum licet Dioclet. & Maxim. Imperatoribus luctuosum ac invidiosum visum fuerit, homines liberos ob æs alienum servire, *l. 12. C. de O. & A.* at tamen Lex de illis publicè incarcerandis non multò fuit remissior. Tandem itaque Sapientissimi Imperatores, singulari humanitate & commiseratione ducti, varia contra rigorosos exactores indulserunt beneficia, ex quibus haud ultimum locum tenet, *privilegium, quod Dd. Competentiæ* vocatur, & nostræ dissertationis argumentum esto.

Ius





## T H E S I S I.

**I**US, ab ipso DEO mentibus nostris insculptum, immutabile esse, ipsa recta dicitur ratio: Jus vero civile, sive Romanum, sive quod cuique patrium est, illius, penes quem civilis potestas, & expressa contraria voluntate, & tacita, mutari, aut in totum tolli, quotidianam docemur experientiam. Dubitantem remittimus ad infinita juris nostri Justin. exempla. Quamvis autem, monente Imperatore Justiniano, nec ea, quae usus contrarius antiquavit, aut Legislatoris dispositio abrogavit, in totum sint negligenda: tamen utilia & adhuc ad finem amplissimi juris studij obtinendum necessaria, imprimis esse addiscenda, tractanda & ad disputationum exercitia eligenda, non solum gravissimi Icti gravissime monuerunt, sed & multarum Universitatum laudatissimi Fundatores legibus prudenter ac providè imperarunt. Hinc scite Nobilissimus Wesenb. *pigeat in re ab usu nostrorum judiciorum remotissima multum opera collocare.* Ne itaque officij nostri partes temerè negligere, ac in eam rem, quae praeter levem quandam obsoletae antiquitatis cognitionem, hodie nihil momenti, nihil utilitatis adferre possit, aliquid operae ac temporis insumere videamur, in vestibulo hujus dissertationis illa discutienda erit quaestio: an hoc competentiae beneficium in desuetudinem abjerit; an vero adhuc hodie in usu forensi suum obtineat vigorem, & debitores, calamitoso hoc seculo, sub onere alieni aëris gementes, tuto ac confidenter ad hoc juris asyllum confugere possint?

II. De jure scripto, nullam sc. extare dispositionem, huic beneficio contrariam, rem liquidam esse confidimus. De jure non scripto s. consuetudine, quae legem imitatur, quamvis idem dicendum esse existimaverimus: facile tamen scrupulum alicui posset injicere, existentibus nonnullis Viris Doctissimis, qui contrarium, nimirum hoc beneficium ab usu recessisse, opinantur, ac expresse profitentur, Videmus enim hac de re, post Decium, Alex.

A 3

&amp; Re.



& Rebuff. idem sentire, haud contemnendæ autoritatis Virum, Matth. Coler *in rr. de processib. executiv.* dicentem: se non vidisse de consuetudine hoc observari, quod pro debitoribus, quantumvis privilegiarijs, fuisset facta deductio, ne egeant: sed processisse executionem adversus eos in solidum, non aliter, atque contra alias non privilegiarias personas, Coler. *d. tr. part. 2. cap. 3. n. 130. & seqq.* Tametsi verò in articulo consuetudinis probandæ, magnam vim habere soleat Dd. autoritas, adeò, ut uni atque alteri magni nominis Icto, de aliqua consuetudine attestanti, secundum communem sententiam, fides sit adhibenda. Quia tamen illa autoritas haud est tanta, ut contrariâ aliorum, qui æquè rerum forensium gnari, destrui aut ab ipsa experientia vinci non possit; ideo Colero & qui illi adstipulantur, reponimus autoritatem peritissimi Wesenbecij, viridis hujus observantiæ testis ocularis, vid. *ejus consil. 50. num. 20.* Caterùm ne quis unius testimonium rejiciat, adducamus Consultissimum Dn. Benedictum Carpzovium, Wesenbecij assertum propriâ experientiâ confirmantem, *in jurisprud. forens. part. 1. const. 32. def. 15. num. 8. & part. 2. const. 25. def. 6. num. 11. ibi: in praxi autem opinio Wesenbecij etiam in foro Saxonico est recepta.* Colerus & Socij licet non viderint, viderunt tamen alij, hoc privilegium suam vim adhuc obtinere. Quibus tantorum Virorum testimonia, ex propriâ experientiâ deprompta, non sufficiunt, illis sufficient Dicasteriorum & Collegiorum, quibus de jure respondendi potestas eminenter convenit, forensis observantia. Privilegiarium debitorem vi hujus beneficij alimenta deducere posse, Anno 1631. judicantur Domini Scabini Lipsienses; nec Anno seq. 1636. in simili causa, idè respondere dubitarunt, uti videre est, ex illorum responsis, quæ extant apud Dn. Carpz. *dd. dd.* Cur itaque nos, ad hujus materiæ properare penetralia dubitaremus?

III. Hoc beneficium, de quo nobis esto sermo, in jure nostro Justin. speciali vocabulo non insignitur, sed tantum à fine suo circumscribitur, *l. 15. l. 17. & seqq. ff. de re jud. l. 12. & seqq. ff. sol. matr. & passim in ll. adduct.* Interpretes, si non omnes, plurimi tamen, qui illud attigerunt, beneficium sive privilegium  
 cont-



competentiæ vocarunt, Carpz. *d. def. 15. & seqq.* Dn. Otto Tabor, *de presid. & pallad. deb. in præfat.* Bachov. *ad Tr. v. 2. d. 24. th. 4. L. h.* Hillig. *ad Donell. Enucl. 27. C. 9. L. 4.* Zanger. *de Except. p. 2. cap. 14.* Coler. *de process. execut. p. 2. c. 3. n. 112.* Schneid. Harppr. Mynsing. *ad §. 37. I. de action.* Liceat itaque & nobis, cum usu communi, loquendi domino, beneficium competentia vocare, quod beneficium in quantum quis facere potest, Veteres Icti appellarunt. Nimis superstitiosi Bachovio nostro videntur, qui similes terminos, quos jus civile ignorat, in totum rejiciunt: frustra enim de verbis litigamus, ubi constat de re subjecta. Et Scriptor ad Herennium, *vitiosum est*, inquit, *controversiam intendere, propter nominum mutationem*, referente Hugon. Grot. *de jur. pac. & bell. lib. 2. cap. 20. num. 25.* Genuinam hujus appellationis rationem invenire haud potuimus. Equidem in confesso est, varios in una atque altera arte, non quidem ex certa ratione, sed quacunque arreptâ occasione, recipi terminos etiam barbaros, Chassen. *in suis comm. in consuetud. Burgund. rubr. des meins mortes. num. 1.* quorum magnum catalogum congeffit Voss. *de vitiis sermon.* Caspar. Mantzius. *in tr. de patr. debitor. depauper. decad. 3. q. 1. n. 2.* inde originem trahere existimat, quia propter hoc privilegium tantum debitoribus sit relinquendum, quantum pro honesta congrua sive competenti sustentatione & victu necessarium est. Si conjecturare liceret, illud adjiceremus: Cum Doctores de hoc beneficio verba facientes, plerumque hisce incipiant verbis: *competit nonnullis personis beneficium. &c.* ac si sequentes Interpretes, Ictos veteres, qui sapissimè actiones & interdicta ab initialibus Edictorum verbis, denominarunt, imitati, huic quoque privilegio certum hinc inde imposuerint nomen. Vocatur aliàs etiam privilegium deductionis, Carpz. *d. const. 32. def. 17.* item exceptio competentia, effectu pro causa positò. Verum ne magna dissertationis pars circa voces consumatur, ad rem ipsam, & quidem ad quæstionem quid sit, veniamus.

IV. Describi autem potest, quod sit beneficium certis personis, ne ipsis ob debita omnia bona auferantur  
sive



sive extorqueantur, sed ad alimenta sufficiens portio relinquatur, concessum.

V. Diximus esse *beneficium*; ita enim vocatur à Jcto Paulo in l. 13. D. Sol. matr. & Ulpian. in l. 63. §. 1. D. pro Socio. Accipitur quidem variè hoc vocabulum, ut ostendit Castro in l. *beneficia*, D. & const. princip. hîc tamen quod pro privilegio in alicujus favorem introducto accipiatur, reliqua nostræ descriptionis verba satis indicant. Faciunt nonnulli inter privilegium & beneficium hanc differentiam: ac si beneficium ipsam benevolam actionem, privilegium vero jus per illam concessum denotet, Georg. Acac. Enenk. de privil. lib. 1. cap. 2. num. 6. & seqq. Verum hanc differentiam in jure nostro non attendi, non solum dd. II. sed infiniti alii textus evidenter probant. Quod & Bodin. lib. 1. de Republ. cap. 10. observavit. Theodoricus Rex apud Casiodor. lib. 2. epist. 28. promiscuè quoque hisce vocibus utitur. Cæterum differre aliàs privilegium à beneficio, ut genus à specie, negari non potest. Nimirum & in odium privilegiariorum sanciri privilegia solent, §. 6. I. de I. N. G. & C. l. 1. §. 2. D. de const. princip. Tale fuit privilegium, quod auctore & rogatore Clodio de Cicerone per aquæ & ignis interdictionem civitate excludendo latum, quod ille nefarium privilegium appellat in Orat. pro domo suâ.

VI. Ex eo, quod diximus, hoc auxilium esse beneficium s. privilegium, in nonnullorum favorem concessum, cognosci potest, quid sentiendum sit, de Treutleri sententia, generaliter asserentis: debitores non in solidum excutiendos, sed ipsis ad quotidianum victum necessaria esse relinquenda. Etenim cum hoc, ut alimenta alieno ære oppressis in executione relinquuntur, per speciale privilegium certis personis concedatur, de jure communi, in non privilegiariis contrariû omnino erit dicendum. Præsupponit enim privilegium, ut jus privum seu singulare, jus commune semper contrarium, l. 3. C. de LL. l. 3. l. 11. D. de testam. milit. l. 37. de jur. fisc. l. pen. C. de prec. Imp. offer. cap. eris dist. 4. cap. novit ille. de Judic. cap. cum dilect. de consuetud. Berlich, pag. 1. | concl. 67. n. 41. Enenk. de privil. lib. 1, c. 3. n. 2. & 3.

& cur



& cur certis personis peculiariter concederetur, omnibus quod  
 jure communi competit? *l. un. C. de thesaur.* & quid opus fuisset  
 hoc privilegio, si cuivis debitori, ne in plus quam facere possit,  
 conveniatur, jure communi prospectum esset? Exceptio utique  
 in casibus non exceptis, confirmat regulam. Cur illi, qui bonis  
 creditoribus cessit, in bonis postea quaesitis specialiter prospiceret  
 Legislator, si antea quoque illo auxilio uti potuisset? Magis  
 itaque juri civili conveniens est communis Dd. sententia: Re-  
 gulariter à debitoribus solidum peti ac exigi posse Dn. Carpz.  
*p. 1. c. 32. d. 15. pr. Georg. Acac. Enenk. tr. de privil. milit. lib. 2.*  
*priv. 19. n. 1. excussio debitoris usque ad ultimum quadrantem,*  
*Wesembec. π. D. de cession. bon. n. 4. ibid. Dn. Ludvv. in not. M. S.*  
*sive, ut loquuntur, usque ad peram & sacculum, Hillig. in Donell.*  
*enucl. 27. c. 9. L. P. Bachov. ad §. 37. 1. de Action. & ad Tr. v. 2.*  
*d. 24. th. 4. pag. 554. ad ultimum obulum, Mevius ad Jus Lubec.*  
*lib. 1. tit. 3. art. 1. n. 24. nec præter vestem quotidianam, quæ*  
*corpus tegat, quicquam relinquendum esse, Berlich. p. 1. concl. 80.*  
*n. 50. Cum quo etiam convenit jus Lubecense, quod refert & ex-*  
*plicat, Mevius ad jus Lubec. lib. 3. tit. 1. art. 10. ibi. mortuo debito-*  
*re qui notoriè solvendo non est, relicta ejusdem bona intra sex*  
*à tempore scientia hebdomadas à creditoribus describuntur &*  
*si ita visum fuerit, obsignantur. Vidua ejus, si liberos ex eò*  
*superstites habet, postea sibi curatores dari curat, & intra sex*  
*menses domo bonisque cedat, saltem tunicà & pallà mediocri*  
*retentâ. Und muß also Hauß Erbe vnd Güter mit einen Rock*  
*vnd Heucken / nicht den besten / nicht den ärgsten reumen / huncque*  
*articulum ad omnes similes casus pertinere, docet ibidem Me-*  
*vius. n. 1. Frustra autem Treutlerus suæ sententiæ confirmatio-*  
*nem ex l. 6. D. de cess. bon. elicere studet: si enim illius verba pro-*  
*piùs intueamur, potius nostram, Treutl. contrariam sententiam*  
*probant: videlicet, non juris necessitate, sed ratione misericordiæ*  
*nonnunquam debitoribus aliquid relinqui. Ludvv. in not. M. S.*  
*ad Wesemb. d. r. Illud omnino fatendum, Treutleri sententiam*  
*æquitatem aliquam sapere. Verum cogimur respondere cum*  
*Jcto Paulo in l. 21. D. de rejud. hoc æquum esse videri. sed alio*

B

jure



*jure nos uti.* Prudentis tamen & Christiani judicis erit, circumstantiis probè consideratis, prudenter prospicere; ne, neglectâ omni humanitatis & christianæ charitatis lege, nimix creditorum crudelitati, plus indulgeatur *arg. l. 38. ibi. neque malitiis indulgendum est.* D. de R. V. hoc enim maximè displicere divinæ clementiæ, passim ex sacro codice cognoscimus, *Exod. 22. v. 25, 26.* & licet hunc, & similes textus, ad forenses léges, populo, cui peculiariter DEUS jura dare dignatus est, præscriptas referant: Morale tamen illius legis, adhuc nobis observandum, manet: ne in exigendis debitis nimis rigidi simus exactores: præsertim, si cum egenis & sub duræ paupertatis jugo gementibus nobis res sit. Zepper, *de Legib. Mosaic. lib 4 c. 23.* ne pauperis abripiatur ipsa vita, quæ ut laborando & adminiculis suis fovetur; ita mediis ablatis quodammodo etiam exciditur, Zepper, *d. c. 23. pag. 604.* Hinc iterum cum Jcto Paulo *in l. 2. §. 5. inf. D. de aq. & aq. pluv.* dicendum existimamus: *hæc æquitas suggerit, etsi jure deficiamus.* Hac æquitate motus, Carol. V. Imperator Anno 1541. referente Ioh. Uffel. *in not. ad Covarr. l. 2. var. resol. c. 1. n. 5. vers. vestes vero,* constituit, ut bonis cedenti lectus unus cum suis ornamentis, item ex singulis rebus mobilibus, non pretiosis, una miserationis gratia relinquatur. Instrumenta, ad artem, quam debitor exercet, pertinentia, relinquenda quoque esse, existimat Cavar. *d. l. (à Tr. quidem pro sua sententia adductus; verum ipsi contrarius)* hocque divinis ll. convenire docet Zepper. *d. c. 23. pag. 604.*

VII. Dicitur secundò, in descriptione supra posita: Hoc beneficium *certis personis esse concessum*, quæ autem sint illæ personæ, sequentes docebunt *th.* Illud verbis hisce haud obscurè indicatur: Hoc privilegium non reale, sed personale esse. Quanquã n. an beneficium aliquod sit personæ, an vero rei sive actionis, facile non sit, in universum definire. Et in hac quæstione, quæ magis facti, quam juris, locum quoque inveniat elegans responsum, de pactis in personam & in rem prolatum: Nimirum, maximè attendendam esse mentem illorum, à quorum arbitrio dependent. At tamen in nostra beneficii specie, res adedò difficilis non est. Equidem primo intuitu videtur aliquid de realis naturâ participare:

Dum



dum certis hominum generibus concessum, quæ moraliter loquendo, individuis nunquam deficientibus, perpetua sunt, perpetuum quoque sit. Verum, re penitiùs consideratâ, hoc beneficium, non minus ac nobilitatis privilegium, doctoratus, militiæ &c. personale esse, & à priori, & à posteriori evidentè demonstrari potest. Extinguitur enim cum persona, cui adhæret, nec ad hæredes, vel alios, ut reale, transit, seu transmittitur, *l. 12. sol. matr. l. 24. §. 1. l. 25. de re jud.* quæ genuina ac perpetua personalium est nota, *l. 196. de R. I. l. 1. §. 43. D. de aq. cottid. & estiv. l. 42. D. de Administ. tut.* Denique non rei, seu causæ, sed personæ potius, concedentem succurrere voluisse, & conditione personarum huic quoq; privilegio causam præbuisse, satis superque ipsissima legum verba ostendunt. In *l. 7. pr. D. de except. personæ coherere* dicitur & in *l. 24. §. 1. De re jud. id mariti personæ præstari.* Neque in hanc sententiam desunt ipsa Ictorum testimonia, Imperatoria autoritate corroborata. Personale vocatur ab Ulpian. in *l. 63. §. 1. D. pro soc.* Paulus in *l. 13. sol. matr.* idem pronunciat. Licet verò semper adsint individua, quæ gaudent hoc privilegio, ac hinc inde perpetuū & non cum personis extingui videatur hoc privilegium: Attamen non jure successionis, aut per modum transmissionis, ut realia, illud consequuntur; neq; quod habent, numero idem est, cum eo, quod jam defuncti habuerunt, & cum illorū personis omninò extinctum est. Sed specie tantum idem, immediatè ex ipsa concedentis voluntate, tenent. Quod autem in *l. 18. pr. D. sol. matr.* dicitur, *& mulieris filios, qui patri hæredes extiterunt, in id, quod facere possint condemnandos,* dictis minimè resistit: Siquidem in hoc casu non transmittitur: sed per benevolam interpretationem extenditur, quod patri defuncto competeat. Aliud autem est extendi privilegium aliquod; Aliud vero transire vel transmitti, Georg. Acac. Enekn. in *tr. d. privil. lib. 2. cap. 4. n. 49.* Quod transmittitur, id suo jure, tam hic, in quem transit, quam ille, à quo transit, ex æquo habet: Quod verò extenditur, illò accessoria persona, ad quam porrigitur, ex autoris sui persona tantū fruitur, & quidem iis solum in casibus, quibus occasio exercendi privilegium, in defuncto seu antecessore principali, incepit atque radicata est. Illud personalium naturam destruit: hoc vero cum illa omninò subsistit. Quodque multis declarari posset exemplis:



Sic Doctorum privilegia personalia sunt, & tamen ad uxores & filios extenduntur. *l. 6. C. de Profess. & Medic. idem quoque sancitum legitur de immunitatibus clericorum in l. 2. §. 4. C. de Episcop. & Cleric.* Nobilium privilegia ad uxores porriguntur, uti & scholarium ad illorum famulos *l. 13. C. d. dignit. auth. habita. C. ne. fil. pro patr.* Illa tamen, ut ob certam personæ in hærentem conditionem concessa, rectè, contra Treutlerum personalia dici, nunquam dubitavimus *arg. l. 68. d. R. I.* Filius enim nobilis non jure hereditario, sed vivo adhuc patre, quia & ipse nobilis est, nobilitatis privilegiis gaudet. Aliàs quilibet nobili succedens illa consequeretur *arg. l. 196. d. R. I.* His positis, nec illud, quod auxilium restitutionis in integrum ob causam ætatis, item beneficium S<sup>c</sup>ti Vellej, heredibus quoque prodesse dicantur, quo minus sint, & dici possint personalia, oberit. Non enim ipsa privilegia uti realia, transmittuntur: Sed saltem per pleniorum interpretationem effectus potius beneficiorum extenduntur, siquidem non tam ipsa privilegia, ex æquo cum defuncto, ipsis competunt, quam quod remedio & exceptione defuncto propter privilegium in uno vel altero casu quæsitâ, ex persona defuncti uti possint. *l. un. C. si advers. dot. ibi: ex persona defuncti. l. 19. §. d. minorib.* Si enim heredes postea de integro circumveniantur aut lædantur, vel pro aliis interveniant, nihilo magis, quam alii non privilegiarii dictis beneficiis uti poterunt.

VIII. Reliqua descriptionis verba, ad finem hujus beneficii pertinentia, in seqq. declarantur. Descriptione itaque quantum instituto nostro sufficit, explicatâ, ordo nos perduceret ad ipsam divisionem. Verum, cum nec in jure nostro, nec apud ejus Interpp. præterquam quod in plenum & pleno minus distinguere possit, (de quo in seq. §. 50.) ulla inveniatur divisio, ea propter ad ipsum hujus beneficii fontem, unde oriatur, veniamus.

Vnde.

IX. Habet autem hoc beneficium, uti & cætera quoque privilegia, esse suum, à voluntate & concessione ejus, penes quem in Republ. summum est Imperium. Νομοθεσίαν enim sive legum ferendarum potestatem, utpote quæ parèdi necessitate omnes adstringit subditos, ac in qua, uti habet Aristot. 1. Rhetor. c. 4. consistit *σωπρία τῆς πόλεως*, Majestatis proprium esse, dogma est tritissimum non modo à ICtis, sed aliis quoque Scriptoribus tractatum. Cujus autem



autem potestatis est leges jubere, ejusdem quoque est, abrogare obrogare, subrogare, Bodin. *d. Republ. lib. 1. c. 10. Molin. de Iust. & Iur. tom. 6. disp. 46. n. 28.* Sic Veteres Romanorum Imperatores ac Principes, utpote, in quos Populus Romanus, per legem Regiam omnem potestatem ac Imperium transtulisse dicitur, à generalium legum nexu multas personas, multasq; causas exemisse, ex multis præclaris exemplis, in corpus Juris Just:relatis apertissimè liquet. Nec ante Imperatores, per verba illa *LL. 12. Tabul. privilegiane irrogando*, ex Solonis Legibus desumpta, illis, qui clavum Reipubl. tenebant, omnem privilegia concedendi potestatem ademptam fuisse, ostendit Rittershus. *in eleganti tr. ad LL. 12. Tabul. clas. 2. c. 2. & Cujac. lib. 15. obs. 8.* aliter tamen dicta verba explicans, quem sequitur Dn. Frantz. *in suo Comm. ad π. tit. d. constit. Princip. n. 36.* Ad hodiernum Imperij statum oculos convertentes, statim ex fundamentalibus legibus, ac ipsa Imperatorum capitulatione, firmissimo Germaniæ libertatis testimonio ac fundamento cognoscimus, non quidem exiguam rerum gerendarum partem ex voluntate Imperatoris dependere, ac ejus arbitrio gubernari; præcipua tamen majestatis jura Imperii Civibus ac Ordinibus cõmunia esse, ac illis invitis aut inconsultis, solū Imperatorem vix aliquid statuere posse. Hinc, cum inter jura majestatis, quæ Imperator & Imperii ordines cõmunia tenent, etiam inveniantur potestas leges universales constituendi, non intempestivè hinc quæritur: Privilegia concedere, & à nexu ll. universalium solvere in cujus sit potestate; & an solius Imperatoris consensus, ut olim, ita & hodiè sufficiat; an vero Ordinum quoque Imperii suffragia necessaria sint? Posterius supra adducta ratio suadere videtur. Verum illà non obstante, adhuc hodiè Imperatorem, inconsultis & ignorantibus Imperii statibus, privilegia concedere, ac nonnullas personas & causas universalium legum vinculo solvere atque eximere non solum Dd. passim tradunt; Carpz. *de L. Regia. cap. 8. n. 8. Tob. Paurm. d. Jurisdic. Imp. Rom. lib. 1. c. 4. n. 6.* sed quotidianà quoque docemur experientiã. Ex multis unicum adducamus exemplum, quod reperitur in privilegio à Ferdinando II. Imperatore, Davidi Doringio Anno 1630. concessio, ac ejusdem Bibliothecæ Ictorum (vix tamen inchoatæ) præfixo. Dum enim ipsi Deringio, omnibusque ejus posteris multas privilegiorum species,



cies, multasque immunitates ab oneribus & personalibus & realibus concessit, tandem hanc subjicit clausulam Imperator: *Neg. etiam obstantibus quorumcunq; locorum privilegiis, à Divis nostris Antecessoribus. Roman. Imp. Regibus, aut nobis ipsismet profectis, pariter ordinationibus, statutis, consuetudinibus in contrariū facientibus quibuscunq;, nec non nostris & Sacri Romani Imperii Legibus & constitutionibus: Quibus omnibus ac singulis, ex imperialis nostræ potestatis plenitudine, in quantum nostris his concessionibus obstarent, vel obstare possūt, derogamus & derogatum volumus.* Limitant tamen ac restringunt. Dd. hanc potestatis plenitudinem, ut non procedat aut locum habeat, si privilegia tendant in magnum Reipubl. detrimentum, aut ad jura Statibus cum Imperatore communia, maximè in Comitibus Imperii peragenda, pertineant, & in hisce statuum quoque consensum necessarium esse, docet, Carpz. d. L. Regia cap. 13. sect. 8. n. 15. quod multi quoq; Imperatores observarunt, ut Otto I. ap. Goldast. tom. 1. const. Imp. pag. 216. Fridericus I. ap. Londorp. tom. 2. actor. publ. lib. 1. tr. 2. pag. 14. Sic Ipse Imperator Carol. IV. cum consensu statuum, in A. B. cap. 13. omnia à se vel à suis Antecessoribus concessa privilegia, in quantum PP. EE. libertatibus, Jurisdictionibus juribus, honoribus & dominiis adversentur, revocat ac ipso jure nulla esse declarat. In Recess. Imp. Augustæ de Anno 1559. §. wo aber jemand wess standts ic. omnia quoque, privilegia ab Anterioribus Imp. concessa, qd. cum illa ordinatione non conveniunt, tolluntur ac annullantur. Inter ea quoque, sub quibus Imperatori clavus Imperii committitur, etiā hoc reperitur, ne privilegium monetæ cudendæ in posterum sine Electorum consensu alicui concedatur, Capitul. Ferd. III. Imp. art. 33. Ex quibus omnibus multisque aliis Sententia Dn. Carpzovii stabiliri ac confirmari potest. Electores & ceteros Imperii status, quatenus leges condere, eatenus quoque in suis territoriis privilegia concedere posse, adeo certum ac in Vulgus notum est, ut id pluribus demonstrare sit hominis otio abutentis.

*Causa mo-  
rens.*

X. Internum, quod legislatorem movit, ut tale privilegium introduceret, summa fuit benevolentiae ac charitatis religio. *Imperialis benevolentiae proprium esse judicamus,* Inquit Imperator

rator



rator Lotharius in *c. un d. prohibet. feud. alien. commoda subjeeto-  
rum investigare & eorum calamitatibus diligenti curâ mederi.*  
Movens externum, quod huic concessioni occasionem præbuit, in  
genere fuit perquam dura debitorum depauperatorum conditio;  
In specie verò, cum pro diversa personarum privilegiarum conditi-  
one, diversum quoque fuerit, singulis in seqq. enumerandis illud  
subjiciamus.

XI. Cum autem hoc beneficium à pluribus nimis latè exten-  
datur, ideo personas, quibus jure competit, recensere, ac de illis  
sequentia subjicere operæ pretium duximus. Primum locum *Quibus com-  
petat.*  
inter privilegiarios nostros obtineant *parentes*, quibus con-  
cessum legitur hocce beneficium in §. 38. I. *de actionib. l. 16. de re jud.*  
*l. 7. §. 1. obs. parent.* (adducit quidem Caspar. Mantz. in *tr. de patroc.*  
*debit. etiam l. 17. de re jud.* verum impertinenter,) & hoc ob pietatem  
reverentiam illis debitam *arg. l. 16. junct. l. 17. De sol. matrim.* Pa-  
rentibus enim summum amorem, honorem summum, cultum,  
observantiam, reverentiam & pietatem deberi, naturæ ductu co-  
gnosimus. Adeo ut hujus edicti, verè perpetui, à DEO ipso  
mentibus nostris insculpti, umbram quandam ac imaginem, in  
aliis quoq; animantibus deprehendere liceat, quibus lumē intelle-  
ctus denegatum est. Aristot. *lib. 8. Eth. c. 1.* Idemque omnia jura  
decernunt, divina & humana *Exod. 20. 12. Lev. 19. 3. Matth. 15.*  
*4. l. 1. §. 2. l. 9. de obseq. parent. l. 28. C. de inoffic. testam. l. 6. D. de*  
*in jus vocand. l. 5. C. de patr. potest. In toto corde, inquit Ecclef.*  
*capit. 7. honora patrem & gemitus matris ne obliviscaris.*  
Arist. *lib. 9. Eth. c. 2.* honorem vult parentibus, tanquam Dijs, ex-  
hiberi. Quâ eleganti oratione utitur Seneca *lib. 3. de benefic.* ut fi-  
lios spe vincendi parentes ad pietatis officia animaret & certami-  
ne honesto illos ad hocce accenderet? eò enim suam orationem  
dirigere videtur. Nec ullum certius impietatis signum, quam ne-  
glectio parentum, *Besold. lib. 1. pol. c. 10. §. 7. num. 35.* Hinc pater  
ille de filio conquestus ad Solonem Salminium. *Crudelissima est*  
*terra, quæ non vivum absorbet filium execrabilem, cujus nul-*  
*la est erga parentem reverentia.* Guevar. in *horolog. Princip.*  
*pag. (mihi) 382.*

XII. Alij



XII. Alij quidem aliam, respectu parentum, adducunt rationem, ab alimentis parentibus debitis petitam. Cum enim, inquit, liberi, propter maxima beneficia, quæ à parentibus acceperunt, teneantur alere parentes, si illi ad inopiam perveniant & sibi amplius necessaria vitæ subsidia parare non possint. Multo itaque fortius ad circuitum evitandum, illis, ex rebus liberis debitis, portio ad alimenta sufficiens erit relinquenda: Dolo n. facit, id, quod redditurus est, qui petit. *l. 8. pr. D. de except. dol. l. 173. de R. I. Mantz. d. dec. 3. q. 1. n. 10. 11.* Verum enimvero, quamvis prius, parentibus sc. alimenta deberi, nemo cui scintilla pietatis superest, inficiari possit: Impius enim ac indignus terræ incola, qui miseros, opis indigos parentes negligit, aut alimenta ijs pro suarum facultatum modo denegat. *l. 5. §. 13. D. de agnosc. & alent. liber. l. 12. C. eod. l. ult. §. ipsum autem. de bon. qua liber. Novell. 117. c. 7. & Arist. lib. 19. Ethic. 2. Parentibus præcipuè alimenta suppeditanda esse videntur, utpotè cum debeamus: cumq; illis, qui in causa sunt, ut simus, honestius sit, quàm nobis ipsis in his opem ferre.* Attamen, veram ac genuinam rationem, quæ principem movit, in illo subsistere, vix ac ne vix admitti potest. Siquidem interdum parentes contra nonnullos liberos uti possint hoc beneficio, qui tamen ad alimenta præstanda adstricti non sunt, quodq; luculentissima exempla testatum reddunt, v. c. Parenti, qui habet filios locupletes & ex illis nepotes, cuique aliunde non suppetunt, quæ ad vitam sustentandam requiruntur, non nepotes, sed filij præstare tenentur. Non enim omnes descendentes simul hoc alendi onere gravantur: Sed secundum ordinem succedendi, proximiores duntaxat. *Carpz. lib. 4. tit. 8. resp. 59. num. 16.* Hoc tamen ipso casu parentem, contra nepotem, creditorem suum, beneficio, de quo agimus, uti posse, supra adducti textus aperte satis probant. Sic pater plures habens filios, non ab uno vel altero, sed ab omnibus & singulis est alendus, *Coler. rr. de Aliment. lib. 1. c. 5. num. 56.* Si tamen unus ex illis, patris creditor, actionem contra parentem institueret, hæc exceptione opposita, non solidum, sed quantum parens facere potest, tantum consequeretur. Nec in casibus, quibus liberi ad alimenta parentibus sunt obligati, doli exceptio, quam urget *Caspar. Mantz. d. l. verenda est.* Si enim verba prædictæ regulæ tam latè ac generaliter essent accipienda, utique nec maritus

ab



ab uxore sua dotem poterit vindicare, contra l. 24. D. rer. amot. totumq; interdictum quod legatorum, multa que alia remedia juris destruerentur. Filius enim patris creditor, solidum exigendo, dolum haud committit. Patrem equidem tenetur alere, sed una vice omnia, quibus verisimiliter alimentarius per totam vitam opus habere videtur, hoc jure præstare aut relinquere non cogitur. Nam cui alimenta debentur, vel in mensa debitoris, vel habitâ personarum ratione, in mensa ejus ministrorum, cibum capere tenetur; aut si alibi degat, sufficit, si menstruatim, aut annuatim alimenta, vel illorum æstimatio solvatur. l. 8. D. de Alim. leg. l. 9. D. de lib. agn. & alic. Dn. Carpz. lib. 4. tit. 8. Respons. 62. n. 6. Multum autem filii creditoris interest, totum non statim relinquere, ne illò brevi consumptò, aliud præstare compellatur. nec particularis tam onerosa, quam totalis solutio seu præstatio. Et filius diligens paterfam. si suum consequatur, illud licito lucro exponens, ex reditu ferè alimenta præstare poterit, sorte sibi salva manente. Cum itaque filius, quod exigit, non statim restituere teneatur; & totum non relinquere, maxime ejus interfit, utiq; non magis ac maritus dotem ab uxore vindicans, & hæres rem legatam, propria autoritate à legatario occupatam, persequens, doli exceptione removeri poterit. Ex dictis itaque facile judicare licet, quam arenosum sit fundamentum, quod multi ponunt in jure parentes alendi, eo que beneficium nostrum restringentes ac extendentes.

XIII. Vocabulo autem parentum, quibus concessum est hoc privilegium, veniunt non tantum pater, sed & avus, proavus, omnesq; in linea recta ascendentes. l. 1. §. 1. D. de Leg. præst. Illos enim omnes parentes dici, ut honestius, merito obtinuit, inquit Ulpian. in l. 4. §. 2. D. de in jus. voc. Nec refert proximiores sint; an alij adhuc existentes, illos gradu præcedant; arg. l. 16. D. de re jud. l. 5. & seqq. de obs. parent. §. 38. l. de actionib. d. l. 1. §. 1. de leg. præst. Masculini sexus sint, an fœminini. arg. l. 4. §. 2. l. 10. §. 2. de in jus. voc. Georg. Enenk. de privil. parent. privil. II. n. 3. Carpz. tr. crim. part. 1. quest. 8. num. 27. nam & matri reverentia atque pietas debetur. l. 4. D. de curat. furios. an verò idem honor utrique & patri, & matri debeat, de eo diversæ inveniuntur sententiæ. Ulpianus noster in d. l. 4. affirmativæ ad stipulari videtur; contra vero Arist. lib. 9. Eth. cap. 2. contrarium expressis verbis docet; ibi ferè in fine:

C

honor



*honor quoq; parentibus, quemadmodum Diis, exhibendus est, non omnis tamen parentibus: neque enim idem patri & matri. Quæ nostra sit mens, quærenti respondebimus; Inprimis an dictæ sententiæ conciliari possint, tentabimus. Cum autem parentes non sint unius ejusdemq; generis, sed à Dd. distinguantur in legitimos naturales, & non legitimos. Legitimi iterum in legitimos tantum, & legitimos & naturales simul, ea propter quid de singulis statuendum sit, paucis videamus. De legitimis & naturalibus simul, quod illi parentum vocabulo principaliter veniant, & propterea hoc parentum privilegio gaudeat, res omni dubio caret. nec aliquid interesse putamus, ab initio tales fuerint; an verò ex post facto; legitimatio enim quamvis principaliter ad liberos legitimandos sit introducta: attamen, quin consequenter parentes quoque naturales per illam legitimi fiant, nunquam dubitavimus, præsertim si illa per subsequens matrimonium contingat, quod non solum ratione liberorum, sed & ratione parentum omnem maculam tollere dicitur, c. tanta x. qui filii sunt legitim. & Dd. ibid. communiter. Hanc, quam diximus, sententiam confirmant quoq; testimonia natalium, quæ liberis per subsequens matrimonium legitimatis dari solent. In illis enim hanc deprehendimus clausulam: quod ex thoro legitimo & parentibus honestis nati sint. Daß sie von Ehrlichen/Frommen/Christlichen Eheleuten/auß einem ehelichen/vnbesteckten/vngetadelten Ehebette herkommen/ gezeuget vnd geböhren seynd/ Carpz. Jurisp. forens. p. 2. const 6. def. 15.*

XIV. Transeamus ad legitimos tantum, de quibus quid dicendum sit, an & illi parentum vocabulo hic veniant, & hoc beneficio gaudeant, plus est difficultatis. Nos in negantium sententia acquiescim<sup>9</sup>. Omisissis argumētis, quæ minus se nobis probāt, primum ac præcipuum fundamentum esto: quod legitimi tantum seu patres adoptivi propriè parētes nō sint, nec dici possint, Georg. Acac. Enenk. tr. de privil. parent. prolegom. n. 2. gignere enim, procreare, parentes esse, naturæ, non juris verba sunt, inquit Tiraquell. in l. 8. gl. in verb. suscepit liberos. n. 15. C. de revoc. donat. & ex illo Döring. in sua biblioth. voc. adoptare. n. 129. Et licet à Dd. per fictionem juris interdum adoptantes parentes dicantur, vix ullibi tamen in jure illos parentes dici, notat Tiraquell. d. l. & Döring. d. l. sic  
in l.



in l. 3. C. de suis & leg. naturalis parens, adoptivus verò pater vocatur. Hinc concludunt Dd. de parentibus in jure constituta, in adoptivis locum non habere, nisi expressa quoq; illorum fiat mentio, Enekn. d. prol. num. 27. Döring. d. l. & statutum, quod indefinite de liberis loquitur, non de adoptivis, sed de naturalibus esse accipiendum docet Rudinger. lib. 1. obs. 25. num. 3. In dubio enim facienda est interpretatio secundum naturalem verborum proprietatem, arg. l. ult. C. de his qui veniam etat. l. 7. §. 2. D. de supellect. leg. Dn. Frantz. in suo comm. π. tit. de LL. num. 23. Tiraquell. in d. l. num. 17. ubi ob eandem rationem d. l. 8. ad adoptivos pertinere negat. Et hoc maxime in exorbitantibus & jure singulari, ad quod fictio juris, per se semper restringenda, nunquam est extendenda. Dn. Johan. Otto Tabor. in tr. de Metat. cap. 4. art. 3. th. 9. Præterea, adoptivos in materia privilegiorum parètum nomine non venire, ipse Ulpianus in l. 8. pr. D. de injus. vocando. nos docet, asserens, illud, quod patres adoptivi, adoptione durante, non possint in jus vocari, magis ex jure potestatis, quam ex verbis edicti de parentibus concepti venire. Ex quo (ut obiter addam) sua sponte fluere videtur, edictum de parentibus absque venia non in jus vocandis, si adhuc necessarium, ad filios tamen ab extraneo adoptatos non pertinere. Adoptione solutâ, cum extraneorum loco iterum esse incipiant, l. 13. de adopt. l. 55. in fin. de R. N. res nullam dubitationem meretur.

XV. Hæc de legitimis, nunc breviter de naturalibus. Absit autem longissime, ut hoc ipso, dum naturales à legitimis & non legitimis, cum Dd. distinguimus, inter duo contradictoria, qualia sunt legitimi & non legitimi, medium, quod sit naturales, statuere velimus. Extra enim omne dubium est, si tanquam opposita accipiantur contradictoria, legitimi & non legitimi, posteriores quoq; sub se comprehendere naturales. Quia tamen naturales & non legitimi quodammodo inter se differunt, melius est, ut nomina quoq; propria habeant, quam eandem quoq; rationem assignat Justinianus noster. in §. hoc autem 5. I. quibus modis testam. infirm. distinguens testamenta in jure facta irrita, rupta & non jure facta, tandem hæc subjicit verba: *Sed quia sane commodius erat, singulas causas singulis appellationibus distingui &c.* Idem invenitur apud Arist. lib. 3. Ethic. Nicom. cap. 2. ubi distinguit inter ἐκὼν ἀκὼν



& ἔχ' ἕκαστ'. Sic quoque distinguunt Dd. inter propriè, non improprie & non propriè seu improprie aliquid dici, Reink. *de R. S. & Eccles.* lib. 5. class. 3. cap. 11. num. 21. Quod autem diximus, naturales sub non legitimis contineri, illi minimè repugnat, quod jus civile permittat concubinatum, ac exinde parentes & liberos naturales quodammodo agnoscat. Nam non omnis permissio, etiam quæ à lege fit, rem facit licitam: Sed illa demum, quæ plena dicitur, & jus dat ad aliquid omnino licitè agendum. Altera enim, quæ minus plena vocatur, & tantum impunitatem dat apud homines, ac jus, ne quis alius licitè impedire possit, qualis hic quoq; intervenit, rem non statim facit licitam. Grotius *de jur. pac. & bell.* lib. 1. cap. 1. num. 17. Et licet jus civile naturales parentes ac liberos quodammodo agnoscat, illorumq; rationem habeat; quia tamen illos non in totum approbat, exinde statim legitimi dicendi non sunt. Naturalis obligatio, quæ oritur ex pacto, in jure quoq; civili suos habet effectus, illamque quodammodo jus civile agnoscit, datur enim ex illa exceptio, l. 7. §. 4. *D. de pac.* constitui & novari potest. l. 1. §. pen. *de constit. pecun.* l. 1. §. 1. *D. de novat.* fidejussores & pignora recipit. l. 16. §. 3. *D. de fidejuss.* l. 5. pr. l. 14. §. 1. *D. de pign.* compensationem efficit. l. 6. *D. de compens.* repetitionem soluti impedit d. l. 13. pr. l. 19. l. 64. *D. de condiët. indeb.* attamen, cum illam jus civile non in totum approbet, nec omnes effectus civiles attribuat, non legitima seu civilis, sed adhuc naturalis dicitur obligatio. Quid vero in hac nostra materia dicamus, an & naturales tantum, parentum nomine contineantur, & hocce privilegio gaudeant? Jus nostrum hosce parentes ad privilegia, parentibus ob reverentiam atque pietatem debitam concessa admittere, cognoscimus ex l. 6. *D. de in jus vocand.*

XVI. *Non legitimos* seu injustos, qui ex damnato coitu procrearunt, tantum abest, ut jus civile parentum nomine venire, ac illis hoc privilegium attribuere & communicare velit, ut illos potius omni odio prosequendos, quam privilegio honorandos judicet: ne repugnante æquitatis ratione, occasione gravissimi delicti privilegia consequantur. l. 31. *D. de recept. arbit.* Justinianus noster & naturalium parentum nomine, & omni clementia illos indignos pronunciat *arg. §. pen. l. d. Nupt. Nov. 74. c. f. Nov. 98. c. f.* Unde inferunt Dd. nec jure canonico, hac in parte, nostris moribus recepto, quod



quod liberis ex damnato coitu natis, contra juris civilis rigorem (si sc. ea Justiniani mens fuerit, uti communiter à Dd. interpretatur, quod tamen nolo hac vice disputare) alimenta ex bonis parentum decernit, procreatoribus hisce aliquid alimentorum nomine à natis deberi: Geil. 2. Obs. 88. Patris enim, non filii est culpa seu vitium, nasci ex adulterio, seu alio damnato coitu *c. nasci dist. 56.*

XVII. Quid de *Vitrico & Noverca* dicemus? Parentum loco esse dicuntur in §. 7. I. de Nupt. Verum illos parentum nomine propriè non contineri, nec parentum privilegiis gaudere constans est Dd. sententia, EneK. de privil. parent. in prolegom. n. 30. Carpz. pr. crim. p. 1. q. 8. n. 45. & in turisp. forens. p. 4. c. 3. def. 5. n. 8. Quod declaratur exemplo privilegii de in jus vocando: Vitricum enim & Novercam, non obstante illo parentum privilegio, etiam absq; venia in jus vocari posse, certissimum credimus, arg. l. 1. §. f. d. postul. arg. l. 11. C. d. furt. Sic non obstante l. 5. §. 1. d. obseq. parent. contra vitricum & novercam famosas quoque actiones admittunt jura nostra, d. l. 11. C. d. furt. De patruo, avunculo, amita, matertera & similibus, qui etiam parentum loco esse dicuntur, idem statuendum esse censemus. Multi quoque honoris gratia, aut aliam ob causam parentum titulo honorantur. Plinius in Paneg.: cap. 6. Nervam Imperatorem humani generis parentem vocat, & cap. 37. civile hoc erat, inquit, & parenti publico convenientissimum, nihil cogere. Imperatores quoque Consiliarios suos & Antecessores Amicorum & parentum nomine solent dignari, l. 4. C. de locat. §. 4. quibus mod. patr. pot. sol. Berneg. in specul. bor. Princip. c. 7. n. 7. Qui ex SS. Baptismate aliquem susceperunt, spirituales appellantur parentes. Verum hosce & alios impropriè tantum ita dici, ac in nostro & aliis privilegiis & constitutionibus parentum nomine non comprehendi, probatione haud indiget. Et quanquam spirituales parentes parentum privilegia sibi asserant, nec suis destituantur patronis, uti videre est apud Tiraquell. in l. 8. gl. in verbo susceperit, n. 26. C. d. revoc. don. et in specie privilegiium competentiae illis attribuat Johan. Faber in §. 38. I. d. Actionib. Platea. ad d. §. 38. Illorum tamen argumenta tanta non sunt, ut nos in illorum sententiam perducere possint. Magis enim ad stipulamur Georg. Acac. EneK. d. privil. parent. privil. 7. c. 3. n. 9. & priv. 18. c. 2. n. 6. docenti, illos nec alendos, nec cum venia in jus



esse vocandos, in quam sententiam & Tiraquell. *d. l. n. 36. & n. 4.* inclinare videtur. Imò generaliter tradit ErenK. *d. tr. in prolegom. n. 93.* spirituales cognationem, quoad bona temporalia, plane non attendi. Nec matrimonio nostris moribus, impedimento est spiritualis illa conjunctio, teste Dn. Ludw. *Exer. 2. §. 4. l. c. Valent. Riemer. decad. 1. coroll. 3.* quamvis jure civili secus erat. *l. 26. C. de nupt.*

XVII. Quod autem diximus, qui non propriè parentum nomine continentur, illos hoc privilegio uti non posse, illud eò extendendum non est, ac si hoc privilegium *socero*, cui expressè concessum invenitur, denegare velimus. Equidem licet *socero*, non vi concessionis parentibus factæ competat: Competit tamen ex speciali legislatoris extensione *l. 15, §. fin. l. 16. l. 17. solut. matrim. l. 21. l. 22. pr. d. re jud. l. pen. d. jur. dot.* Merito itaque & *Soceros*, i. e. uxoris patrem, & mariti patrem inter personas privilegiarias recensemus.

XVIII. Parentibus proximè adjungimus *Patronos illorumque liberos ac parentes. l. 17. d. re jud. l. 5. & seqq. d. obs. parent. §. 38. l. d. Act. 1.* Ut enim liberi parentibus naturalem, ita patronis liberti debent civilem vitam. Pro mortuis servi in jure Romano habentur *l. antepen. de R. I.* & à dominis manumissi, æquè ac liberi parentibus, patronis suis ad reverentiam ac pietatem sunt adstricti *l. 9. D. de obseq. parent.* Sublatò autem hodie inter nos Christianos servitutis & veræ manumissionis jure, de hisce pluribus disputare, operæ pretium non videtur. Illud omittendum non est: An domini proprios homines die *Leibeigene Knechte* dimittentes sive manumittentes, propriè patroni dicantur & hoc jure singulari gaudeant? Utrumque negandum censemus. Proprii enim homines, licet in illis quædam pristinae servitutis vestigia reperiantur, veri tamen servi non sunt: Sed rectius liberis annumerantur hominibus. Herman. *Stam. d. serv. person. lib. 1. tit. 1. c. 2. & lib. 3. c. 17.* Negatà itaque verà servitute, negatur quoque vera manumissio, quæ est libertatis datio, ac veros efficit patronos. Utut igitur hi dimissi pristinis dominis, in gratitudinem accepti beneficii, reverentiam aliquam debeant, *Stam. d. tr. lib. 3. c. 37. n. 7.* Hoc tamen beneficium patronis veris ac propriè dictis concessum, ad illos extendere, non Interpretis, sed legislatoris erit.

XIX. Progre.



XIX. Progrediamur ad *Maritum*, cui, ne in solidum condemnatur, expressè quoque leges prospexerunt, *l. 17. l. 20. D. de re jud. §. 37. l. de Act. l. 12. & seqq. solut. matrim. l. un. §. 7. de rei uxor. act.* & hoc ob reverentiam marito ab uxore debitam, *l. 14. §. 1. in f. D. soluto matr. l. un. §. 7. ibi. quia hoc aequissimum est, reverentia debitum maritali. C. de rei uxor. act.* Affinitati quidem hoc adscribit Zanger. *de Except. p. 2. c. 13. n. 11.* Verum, cum de eo, an inter maritum & uxorem affinitas contrahatur, alii, & quidem meritò dubitent, nos ratione in legibus expressâ contenti, illam relinquimus, & quis mariti nomine hîc veniat, paucis subiiciamus. Maritos autem veros ac legitimos, qui verum ac legitimum contraxerunt matrimonium, tantum hîc intelligi, nulli dubitamus. *arg. l. un. pr. D. unde Vir & Vxor.* Nam si quidam contra legum præcepta coierint, nec vir, nec uxor, nec nuptiæ, nec matrimonium, nec dos censetur, *§. pen. l. de Nupt. l. 3. D. de jur. dot.* sic si quis in gradibus prohibitis, v. c. privignam duxerit vitricus, ille, ut non legitimus maritus, utique in solidum conveniri poterit: nullum enim hocce est matrimonium, contra legum præcepta initum, nec dos, nec uxor, nec maritus, *l. 4. C. de incest. nupt. l. 1. C. de condict. ob causam.* Ergo nec privilegium respectu dotis & uxoris marito concessum locum inveniet, Covar. *tom. 1. de matrim. part. 2. c. 6. §. 8. n. 42.* Frustra legum implo- rant auxilia, contra leges qui committunt, *l. 37. §. 1. D. de minor.* Ne, repugnante naturali æquitate, beneficiis afficiantur, qui gravissimis pœnis digni sunt, *arg. l. 26. D. de testam. milit. l. 1. §. 1. de dol. mal. excep.* In prædicto itaque casu, de facto ita cohabitantes, remotâ omni dispensatione, nec liberis, quorum aliàs magnus favor, exinde natis obstantibus, potius separari ac dignis pœnis subiici debent, uti nuperrimè nonnulli magni Theologi, in simili casu consulti piè ac prudenter responderunt. Nec quicquam interest, affinitas ex legitima aut illegitima provenerit conjunctione: Nam quoad matrimonium impediendum, etiam ex illegitima & injusta conjunctione oritur affinitas, *l. 1. §. 3. D. de concub. l. 4. C. de nupt. l. 14. §. 3. de R. N. Bachov. ad Tr. v. 2. disp. 6. §. 3. L. c. quod in pronunciando quoque observarunt Dn. Scabini Lipsienses, hisce verbis respondententes: Darauß allenthalben so viel.*



so viel zu finden/das die zwischen A. S. dem alten vnd B. R. vollzo-  
gene Ehe/ in Ansehung/ das sie zuvor / von seinem Sohn A. S. dem  
jüngern geschwengert/ zu recht nichtig / vnd wird jeso gemelde B. R.  
wann sie zu haften bracht/ vnd ihrer weiblichen Bürden / entbunden/  
wegen solches begangenen incestus billich mit Staupen geschlagen vnd  
ewers Gerichts verwiesen. Carpz. *tr. crim. p. 2. q. 74. n. 91.* Puta-  
tuum quoque maritum, hinc mariti nomine non venire, certum  
esse credimus, *arg. l. 1. §. f. pro dot. l. un. D. und. Vir & Vxor.* Equi-  
dem quamvis liberi ex tali conjunctione procreati, pro legiti-  
mis habeantur, *c. pen. x. qui filii sunt legitim. & cohabitantes errore*  
*acerrimo, non affectato decepti aut lubrico ætatis lapsi, pœnis*  
*eximantur, l. 4. D. de incest. nupt. legitimum tamen matrimonium*  
*non est, unde si pœnas, quas leges, scienter talia admittentibus*  
*imponunt, evitare velint, errore comperto, ab hujusmodi con-*  
*junctione, sine ulla procrastinatione recedere debent, d. l. 4.*  
Iterum itaque concludimus, ubi non est legitimum matrimo-  
nium, ibi nec dos, nec uxor, nec maritus, & per consequens nec pri-  
vilegium marito, respectu dotis & uxoris concessum. Hanc  
quam diximus sententiam, ut communem tenent quoque Fach-  
næ: *lib. 10. controu. cap. 30.* Hillig. *ad Donell. Enucl. 27. cap. 9. lit. f.*  
Brun. *de cess. bon. q. 10. quart. quest. princip. n. 9.*

XX. Sponso ut attribuamus hoc beneficium, stricta privile-  
giorum natura vix admittit. Maritis enim est concessum, à qui-  
bus, ut à matrimonio sponsalia, maximè differunt sponsi. Hi  
sponsalitia, illi matrimoniali efficiuntur consensu; ibi promissio,  
hinc promissionis executio; ibi enim nuptiæ tantum celebran-  
dæ promittuntur, hinc promissæ contrahuntur, & demum median-  
te cohabitatione individua consuetudine, quam consensus po-  
sterior involvit, consumuntur, prout hæc nervosè explicavit  
Magnus Gerhard. *loc. Theol. tom. 7. de conjug. §. 124. p. 205.* Hinc  
Ulpianus, Sponsum nondum esse maritum, apertè docet, *in l. 1.*  
*§. 2. D. pro dot.* Præterea respicit hoc privilegium maxime dotis  
causam & alia negotia cum uxore contracta, *l. 17. l. 20. D. de re*  
*jud. l. 12. & seqq. sol. matr.* Sponsalibus autem tantum contractis, nec  
dos, quæ sine matrimonio esse non potest, *l. 2. D. de jur. dot. nec*  
*uxor verè ac propriè existit, Dn. Carpz. lib. 6. tit. 6. Respons. 6.*  
*n. 8.* Nec stringit, quod virgo desponsata uxor, & sponsus pluri-  
mis



nis in locis maritus appelletur. Ad hoc enim jamdudum respondit B. Gerhard. *d. l. §. 168. pag. 252.* nimirum id ea ex causa fieri, quia sponsa sit uxor sperata, pacta, promissa & futura. Extra hunc respectum, sive naturam ipsam rerum, sive proprietatem verbi sequimur, sponsa uxor non est, nec sponsus maritus; sed tales demum post ceptum matrimonium intelliguntur. Dn. Carpz. *d. l.* Si enim sponsa vera esset uxor, ac sponsalia, etiam quæ de presenti Dd. dicuntur, verum matrimonium, uti plurimi existimant; quomodo festinatus cum tali sponsa concubitus ferè pro stupro haberi, ac qua ratione sponsus sponsæ suæ prædefunctæ sororem ex dispensatione superiorum ducere posset? quod tamen non tantum Dd. admittunt, sed & in usu forensi observari ipsi vidimus. Quo fundamento rescindi possent sponsalia ob omnes illas causas, quas & Theologi & Jcti admittunt, uti videre est ap. B. Gerhard. *d. l. de conjug §. 162. pag. 245 & seqq?* Ob inimicitias quoque capitales & implacabiles, totalemque animorum alienationem, quæ omnem omnino reconciliationem recusat, sponsalia dissolvi posse, & B. Gerhard. *d. l. §. 153. pag. 237.* & Dnn. Scabini Ienenses judicarunt, referente Godof. Fibig. *ad Exer. Frantz k. 2. q. 2.* Qua ratione autem, salvo Salvatoris nostri firmissimo effato, *Matth. 19. vers. 9* hoc asserere potuissent, si crederint sponsalia esse verum matrimonium? Dicta, sponsum sc. non gaudere hoc beneficio, eo magis in foro Sax. procedunt, quod de jure Saxon. sponsus vel sponsa, ante consensum thalami, *ehe sie zuvor das Brautbett beschriften haben* nullis fruantur beneficiis: quo tamen ipsam carnali copulâ consummationem non intelligunt Riemer, *dec. 2. q. 8.* Wehner. *obs. pract. voc. Ehemann.*

XXI. Defenditur quoque *uxor* hoc beneficio, ne in plus, quam facere possit, condemnetur, *l. 17. §. 1. D. solut. matrim. l. 20 de re jud.* Publica enim honestas & honor matrimonii exigit, hinc quoque necessitatis rationem haberi, ne uxor totius vitæ socia, in mariti opprobrium mendicare cogatur, Carpz. *lib. 4. tit. 8. respons. 59. n. 1.* Nam *iniquum est, dicitur inc. un pr. de not. feudor. quem videre egentem, quem prius habuit in conjugem.* Cur itaq; nonnulli verba ultima *d. l. 20* ut à Triboniano adjecta abijcere conantur nullam, quæ movere possit, invenire possumus rationem, Hillig. *ad*

D

Donell.



Donell. 27. c. 9. Lit. G. Quod autem in marito, ut sc. legitimum intervenerit matrimoniū, necessarium diximus: Illud hīc quoq; de uxore est exaudiendum, rationibus suprà adductis & hīc pugnantibus. Ex quo suā sponte profluit: *Concubinam* hoc privilegio non gaudere, sed in solidum condemnari posse, arg. l. 17. pr. D. rer. amot. l. 31. pr. D. de donat. Licet enim concubinatus jure Justinian. extra legis pœnam sit, legisque nomen assumpsisse dicatur, l. 3. §. 1. D. d. concub. nec non licita consuetudo vocetur, l. 5. C. ad Sct. Orficiā. Absit tamen longissimè illam justam ac verè legitimam esse consuetudinem, ut in illa viventes maritorum & uxorum privilegiis & juribus gaudeant, arg. d. l. 17. pr. & d. l. 31. Diversa omnino sunt, aliquid permittere, ut extra legis pœnam sit; & aliquid, ut justum ac legitimum approbare, Goehaus. part. 1. peric. Academ. 14. vid. sup. 6. 15. Non hoc, sed illud adductæ LL. probant. Verba enim permittentia, ut ambigua, ex jure naturæ interpretari nos convenit, utrius generis sit permissio, Grot. d. jur. pac. & bell. lib. 1. c. 1. n. 17. & concubinatus legitima audit consuetudo, pro ut & illud, teste Grot. d. tr. lib. 3. c. 4. n. 2. licere dicitur, quod quidē impium est & injustum, sed tamen alicui certæ pœnæ haud subjacet. Nam propter incorrigibiles hominum mores, & majoris mali evitandi gratia, legislatores, etiam inviti, non nunquam coguntur connivere & peccata quædam tolerare, c. 1. & 2. dist. 13. Molin. de Just. & Jur. tom. 6. disp. 26. n. 26. quod unaquæque Respublica multis, iisque luculentissimis exemplis testatum reddidit. Unde Thuc. lib. 3. referente Lips. lib. 2. Polit. cap. 13. *nati omnes peccare & labi sunt, quæ privatim, quæ publicè: neque lex est, quæ satis validè vetet aut capiat modum.* Generaliter enim dici potest, quod dixit Munius Lepius de Lutorio Prisco Equite Romano: *flagitia & facinora sine modo esse.* Tacit. lib. 3. annal. cap. 50. n. 2. nec semper puniendo impediri possunt. *Videbis enim, inquit Seneca, ea sepe committi, quæ sepe vindicantur.* Et cum Leges sint quædam mensuræ actionum humanarum, utique illis homogeneæ esse debent, adeoque ea præcipere, quæ sunt moraliter possibile in republ. per prædictas civium actiones obtineri, Dn. Frantz. in suo comm. π. tit. de just. & jur. n. 40. quò respicit quoque illud Isidori, dicentis, *erit lex possibilis*



*possibilis, secundum naturam, secundum consuetudinem, cap. 2. dist. 4.* Debent tamen legislatores & in hisce, quod puniendo obtinere non possunt, cujuscunque pudorem & conscientiam obtestando rectam intendere viam, quod & nostri fecerunt J.Cti. Hinc Paulus in l. 144. de R. I. *non omne quod licet honestum est,* & Modestinus in l. 42. de R. N. & in l. 197. de R. I. *non solum quid liceat considerandum est, sed & quod honestum sit.* Unde semper quoque, qui honestati studere, non minus ac apes impurissimum lascivæ libidinis odorem fastidiverunt. Nihil enim est tam mortiferum ingeniis, quam libido, quæ non animi solum, sed & corporis robur minuit, Lips. in *monit. polit. lib. 2. c. 17.* Quod diximus, concubinam non gaudere hoc beneficio, nostris moribus, quibus omnis extra matrimoniam conjunctio, ut injusta damnatur ac pœnis coercetur, Dn. Carpz. *pr. crim. p. 2. q. 70. n. 41.* dubitationem vix recipit.

XXII. Inter hosce privilegiarios etiam *Socij* inveniuntur, l. 16. l. 22. §. 1. D. de re jud. §. 38. I. de Action. l. 63. D. pro socio. Quid autem causæ concedentem ad hoc moverit, exprimitur in d. l. 63. *pr. ibi. hoc enim summam rationem habet: cum societas jus quodammodo fraternitatis in se habeat.* Complectitur autem hæc concessio omnes socios, sive sint universales, sive generales, sive particulares; imò & unius rei socios, in quantum facere possunt, condemnandos esse, non obstante ratione Subtilissimi J.Cti Bachov. in §. 36. I. de Action. verius existimamus, per textum, eundemque clarissimum in d. l. 63. *pr.* qui hanc, quam diximus sententiã, ad oculum ostendit. *Verum est,* inquit ibid. Ulpianus, *quod Sabino videtur, etiamsi non universorum bonorum socii sunt, sed unius rei, attamen in id quod facere possunt, condemnari oportere.* Nullum nobis facessit negotium textus in l. 16. D. de re jud. Nec enim temerè credendum est, sentire Ulpianum, ac si particulari & unius rei socio hoc privilegium non competat: cum ipse Ulpianus aliter mentem suam explicaverit in d. l. 63. Lex itaque legi erit conjungenda; l. un. C. de in off. donat. neque textus, id quod magis est probabile asserens, illicò negat, quod minus est probabile. De particulari autem dubium fuisse apparet & ex d. l. 36. & d. l. 16. illud verò omne removit declara-



1  
tio Ulpiani, Imperatoria autoritate corroborata. Meier. in Colleg. Argent. lib. 42. tit. de re jud. th. 34. Ut itaque cum Marq. Freher. 1. Parer. 5. ad textus correctionem fugiamus & in d. l. 16. pro *autem* substituamus *etiam non*, nulla cogit necessitas. Nec admittenda erit licentia, quam sibi sumit Elb. Leon. 6. E. mend. 14. totum illum versiculum d. l. 16. *Socium aut omnium &c.* rejiciendo, ac si ab imperiti Interpretis additione effluxerit: Similes enim, duræ quidem & insuaves loquendi rationes aliis quoque in locis deprehenduntur, uti observavit Hillig. in Donnell. 27. c. 9. L. K. & ibid. alleg. Dd.

XXIII. Tandem producimus *militēs sub armata militia stipendia merentes*, non in solidum, sed in quantum facere possunt condemnandos, l. 6. pr. l. 19. D. de re jud. Æquum enim est, illis quoque providere, qui summa pro Republica subeunt pericula; ne neglectâ gratitudinis lege, in solidum excussi, relicto armorum usu ad alia negotia sese conferre cogantur. De nostri temporis militibus, nisi Rempublic. magis deprædando, quam defendendo, sese hoc privilegio, præmii loco bene merentibus concessio indignos reddiderint, idem dicendum existimamus, Georg. Acac. Enek. de privil. milit. lib. 1. c. 3. Carpz. lib. 6. tit. 2. respons. 14. n. 2. Gregarii autem sint milites, an egregii, in expeditione, an extra illam constituti, ut hoc privilegio uti possint, nihil interest, arg. d. l. 6. & l. 19. de re jud. Enek. d. lib. 1. cap. 5. n. 14. Nec excludimus limitaneos & stationarios. Nam & hi veri sunt milites, militumque privilegiis gaudent, l. 2. §. 8. §. 13. de off. præf. prætor. Aff. l. 5. C. de vectig. l. 1. §. 12. de off. præfect. Urb. Carpz. d. respons. 14. n. 8. & 17. Enek. d. c. 5. n. 5. Bocer. de Bello c. 28. n. 11. & 12. etiam qui tempore pacis, ad impediendas repentinas hostium irruptiones comparati sunt, arg. l. 5. §. 1. D. de re militar. Miles enim inquit Enek. d. l. 1. cap. 4. num. 5. & seqq. *non actu, sed habitu definitur, qui pacis conservande, bellicæ armis propulsandi causa est electus, licet non ipso actu in acie & pulvere versetur.* Idem itaque de principum vasallis, militibus semper paratis, dicendum videtur: equidem acceperunt feuda sub ea conditione, ut quasi in perpetuo procinctu sint, quò vocati compareant, & Domino præstent militarem operam.



*e. un. de nov. form. fidel. c. un. pr. hic. fin. lex. Bocer. d. tr. lib. 1. c. 8. n. 3. Georg. Schulz Synop. feud. c. 10. n. 24. Das sie mit 1. 2. 3. oder mehr Pferdē das Lehn verdienen wollen / aut si Wehnero fidei habeamus, etiam cum hasta, mit einem Knöbelspieß / observ. pract. voce Ritterdienst. Unde in jure feudali passim militum nomine insigniuntur, Principumque potentia in Vasallorum multitudine consistere dicitur, Besold. de art. & jur. bell. c. 2. th. 3. Quid de Equitibus? Illos quoque veros esse milites, ac militum privilegiis gaudere, docet nos Eneke. de privil. milit. lib. 1. cap. 6. n. 12. & seqq. Limnæ. de jur. pub. lib. 6. cap. 2. n. 11. quod evidenter confirmat formula codicillorum, quibus in ordinem equestrem recipiuntur, quam refert Petr. Calefat. de equest. dignit. n. 10. ibi. *Præsenti nostro edicto te militem facimus ac creamus, ac titulo & dignitate militari decoramus & ad statum & ordinem militatem assumimus &c.* & paulò post: *volentes & decernentes quod deinceps, ubiq; locorū & terrarum pro vero milite habearis &c.* & denique: *ceterisq; omnibus ac singulis privilegiis militum uti frui &c.* præterea & stipendia recipiunt, Limnæ. d. c. 2. n. 76. fere in fin. Hinc in statut. ord. fasciæ rubræ. art. 17. Da ein Ritter einer fürnehmen Frawen begegnet / soll er von seinem Pferd absteigen vnd hingehen sie zubegleiden / wer darwider handelt der verleiuret ein Monatsold. De Veteranis audiamus Ulpianum, dicentem: *Si castrense peculium maritus habeat, in quantum facere potest, condemnabitur.* l. 7. D. de castr. pecul. Cum itaque Jctus ratione castrensis peculii non distinguat, an adhuc miles sit ejus dominus, an non; nostrum quoque non erit distinguere. Illud genus militum, qui vulgò circumforanei vocantur, vagi, pagatim grassantes, Herrenlose Knechte etc. tantum abest, ut hoc privilegio gaudeat, ut potius Principes Imperii, in quorum provinciis hæc vera hominum sentina grassatur, ferro & igni in hosce latrones animadvertere jubeantur, prout prolixius disponitur in ord. de pac. publ. de Anno 1521. §. von den einspännigen Knechten / & alibi in Recess. Imp. Mager. de Advoc. armat. c. 3. n. 74. & seqq. Calones, pueros sc. mulieres meritorias, aliosque exercitus asseclas, quorum hodiernam militiam spectantibus greges, ipsum militum numerum superantes occurrunt, longissimè quoque hinc relegamus. Nam ab ipso quoque*



militari exercitu acceri jubentur in Articulsbrieff auff die teutsche  
Knecht. Maximil. II. zu Speyer de Anno 1570. art. 68. Huicque si-  
mitem legem tempore Friderici I. Imperatoris extitisse, ex Li-  
gurino Gunther. lib. 7. v. 282. refert. Bernegg. ad Tac. de morib. Ger-  
man. quast. 41.

*Non erit in nostris nobiscum fœmina castris,  
Qui reus extiterit, spolijs nudatus abibit  
Turpiter, & naso mutilabitur illa reciso.*

*Et ex lib. 8. vers. 363. de laudato Imperatore  
Illecebrosa suis purgavit scandala castris.  
Eg suo catu lixas & scorta nocivum  
Ac petulans vulgus indignanter abegit.*

Ab hoc non planè aliena est ratio, quam Severus Cæcina, de alio  
quidem casu, proponit apud Tacitum lib. 3. annal. cap. 33. num. 2.  
dicens: *Haud enim frustra placitum olim, ne fœmina in socios  
aut gentes externas traherentur: inesse mulierum comitatu,  
qua pacem luxu, bellum formidine morentur, & Romanum  
agmen ad similitudinem barbari incessus convertant. Non im-  
becillum tantum & im parem laboribus sexum; sed si licentia  
adsit seruum ambitiosum, potestatis avidum &c.*

XXIV. Prodeat nunc donator, & audiat in quantum ipse  
condemnandus sit. *Is quoque, inquit Paulus in l. 19. §. 1. de re jud.  
qui ex causa donationis convenitur, in quantum facere potest,  
condemnatur, idem dicitur in l. 41. in fin. de re jud. l. 12. l. 33. ff. de  
donat. l. 28. de R. I. §. 38. I de action. Incivile enim esset, illud, quod  
ipse ex liberalitate promisit, tam rigidè ac avarè exigere, omnia-  
que, nec alimentis relictis, donatori auferre, ut ex sua liberali-  
tate inops factus periclitetur, l. 50. de re jud. Donatorem autem  
hîc intelligimus qui propriè talis est. Cum enim donatio sit ex  
genere eorum, quæ πρὸς ἐν dicuntur, & eo inde in veram seu pro-  
prium & analogicam seu improprium dividatur; donator quoq;  
aut verus erit, aut improprie tantum ita dicetur. Illum verò, ni-  
mirum qui ex donatione propriè ita dicta convenitur, hoc tan-  
tum privilegio gaudere, docet Bachov. ad §. 38. I. de action. Ever-  
hard, Bronch. ad l. 28. de R. I. ubi & Gothof. & hoc per l. 33. ibi:  
qui*



qui ex liberalitate. de jur. dot. l. 50. de re jud. l. 28. de R. I. Sic quamvis dos, respectu mariti, donatio quoque dicatur, l. 20. C. de don. ante. nupt. quia tamen requisita propriæ donationis, quæ & simplex dicitur, deficient, dotis promissor, hoc titulo privilegium nostrum sibi vindicare, non poterit, arg. l. 41. D. de re jud. unde expressè Labeo in l. pen. D. de jur. dot. extraneum, qui dotem promisit, in solidum conveniri.

XXV. Denique *filius, à patria potestate liberatus*, nec ex bonis paternis locupletior factus, si ex contractu, durante patria potestate, ab ipso inuito conveniatur, in id quod facere potest, condemnatur, l. 2. & t. t. D. quod cum eo qui in alien. potest. l. 2. C. eod. l. 49. D. de re jud. Sicuti enim prator, contra filium emancipatum, creditoribus actiones summo jure per capitis deminutionem extinctas, restituit, t. t. D. de capit. deminut. ita etiam, ne injuria afficiatur filius, non aliter adversus illum in solidum, quam si ex bonis paternis locupletior factus fuerit, actiones competere voluit, uti hæc æquitatis rationem pluribus explicat. Dn. Frantzk. in suo comment. π. tit. quod cum eo qui in alien. pot. n. 6. Filius autem an emancipatione, an alio modo sui juris factus sit, nihil interest, l. 2. §. 1. d. t. in quo §. ut cum Cujac. pro *naturalis* legatur *adoptivus*, necessarium minimè videtur, uti ostendit Bach. ad Tr. v. 1. disp. 24. th. 9. L. d. Ludw. in not. M. S. ad Wesenb. π. d. t. Locupletior autem factus non videtur, si modicum tantum acceperit ex bonis paternis, l. 2. §. 1. D. d. t.

XXVI. Tandem *debitor, qui bonis creditoribus suis cessit*, si quid postea adquisierit, ob miserationem in id, quod facere potest convenitur, §. f. 1. de Act. l. 4. D. de cession. bonor. Cessio enim obligationem in totum non tollit, l. 1. C. qui bon. ced. poss. Sed etiã post cessionem, in residuum debitor manet obligatus, & quidem naturaliter & civiliter, suspenso saltem ejus effectu, donec ad pinguiorem fortunam perveniat, Brun. de cession. bon. q. 19. quart. quest. princip. Bach. ad d. §. f. 1. de action. Quid verò si modo aliquo contumelioso, plurimis in locis recepto, facta sit bonorum cessio? Casparus Mantz. d. tr. de patroc. debitor. dec. 3. q. 1. num. 99. debitorem in hoc casu in totum liberari, existimat. Verum cum illi ignominiosi cessionis modi, quorum plurimos refert Brun. d. tr. quest.



*quest. 6. princ. n. 5. & seqq. & Hillig, ad Donell. 27. c. 9. L. HH. non ad hoc, ut debitores liberentur, sint introducti; sed potius ne tam facile ad illud remedium confugiant; antequam Dn. Mantz. contrariam vel generalem, vel localem legem aut consuetudinem producat aut probet, Alexandri Imperatoris rescripto inhærendum esse censemus, cum Ioh. Uffel. in not. ad Covarr. l. 2. var. resol. cap. 1. num. 6.*

XXVII. Ut autem aliàs debitores, maximè hoc, non minus litigioso, quàm malitioso seculo, ingeniosi sunt, in actionibus declinandis, ac excogitandis remediis, quibus iudicis condemnationi se subducant. Valent. Winther, *parthen. litig. lib. 1. c. 13. n. 24. & seqq.* Ita quoque non paucos, minimè vocatos ad hoc privilegium confugere videmus. Nec desunt sibi vendicantibus sui patroni, qui partim pravâ textuum interpretatione, partim speciosâ, in privilegijs tamen minimè validâ extensione, illorum votis blandiuntur. Itaque in illorum sententias ac fundamenta accuratiùs, brevitati tamen studentes, inquiremus.

XXVIII. Equidem si rationem naturalis æquitatis, ac christianæ charitatis, legem respiciamus, fateri oportet, effectum hujus privilegij in multis, etiam non privilegiarijs debitoribus, piè atq; rectè observari posse, uti superius quoque indicavimus. Verum eò non evincitur, idem simpliciter velle jus civile, ac in totum naturali illi rationi assistere. Nemo enim tam hospes est in rebus civilibus, qui nesciat, non omne, quod absolutè æquum, in foro quoq; civili ex necessitate civili observari, *arg. l. 6. de I. & I. l. 1. §. 17. D. ad L. Falcid. l. 12. D. qui & à quibus manumiss.* Nam multa si æquitatè in se & absolutè spectemus, æqua sunt; non tamen cuivis opportuna Republicæ, imo nec præcisè necessaria, maximè si quædam circumstantiæ aliud suadeant. Interdùm enim jus civile recedit sive potius non assistit æquitati naturali, ut ad ipsam recedendi via sit commodior; ne si directò ad ipsam eatur, ad ipsam non perveniatur, uti evidenter satis demonstravit, Vir maximo suo merito Celebratissimus, Dominus Thomas Lanfius in *insign. discurs. de Lege Regia th. 90.* ubi tandem concludit: *Atq; ita videmus, dum a naturalis æquitatis semita interdum exorbitare videmur, nos ad eam quam proximè accedere: non quidem recto gressu, sed*



*sed per anfractus, & cursu nō nihil inflexo.* Ea propter ut quis hoc beneficio uti possit, eoque in judiciō oppositō, ne in solidum excutiatur, etiam invitō creditore, obtinere, simul legislatoris voluntas & autoritas accedere, non vero resistere debet. Vnde generaliter dicimus: Quibuscunque beneficium, de quo agimus, specialiter concessum non invenitur, illi ex juris necessitate, ne in solidum excutiantur, petere ac obtinere non possunt. Nam uti superius dictum, ex enumeratione certarum personarum privilegiarum haud obscurè colligitur, cæteras non enumeratas excludi, Dn. Tabor. *in tr. de metatis. p. 3. c. 4. art. 6. th. 9.* Agnoscit hanc ipsam propositionem Casparus Mantzius, aliàs nimium de alieno liberalis, *in suo tr. de patroc. debit. dec. 3. quest. 1. num. 103. & seqq.* Præterea adeò vera ac firma est dicta regula, ut ne ob rationis paritatem aut identitatem ad personas non expressas, per interpretationem doctrinalem extēdi aut transferri possit hocce privilegium. Nam in privilegiis, quorum efficacia non in ratione, sed potius in concedentis voluntate est posita Dn. Frantz. *in suo comm. ad π. tit. de LL. n. 58.* nulla extensio de persona ad personam, procedit; nec illa, quam comprehensivam vocant, *l. 14. & seqq. D. de LL. l. 1. §. 2. D. de constit. princip. §. 6. I. de I. N. G. & C. l. fin. C. de decurion. l. 141. pr. de R. I. cap. sane. 9. x. de privil. c. 28 de R. I. in 6. Georg. Acac. Enenk. de privil. lib. 2. cap. 4. n. 25. Arumæ. ad A. B. discurs. 5. thes. 15. pr. Hinc Dn. Frantz. apud Arumæ. v. 3. discurs. 26. thes. 20. privilegia, inquit, essentialiter non subsistunt in ratione, sed potius in voluntate Principis, quæ certè sine manifesta ejus declaratione ulterius, quam scripta est, extendi nequit, & in laudato comm. ad π. d. t. de LL. num. 68. & tit. de pignor. & hypoth. n. 38. parum hic refert quod in simili casu, aut persona, eadem ratio militet, unde significanter dicitur jus singulare est, quod ob utilitatem autoritate constitutum est. Quamvis enim ratio legis (quam multi cū mente, quæ quasi est anima seu spiritus legis, & verba quasi vivificat, confundunt,) præcipuum sit ex indicijs, quibus mentem venamur; unde & communis illa regula: *ubi eadem ratio, ibi idem jus.* Attamen obtineat illa in jure communi vim suam; in exorbitantibus seu privilegijs non procedit, Dn. Joh. Otto Tabor. *de metat. d. th. 9.* Aliàs & in senibus & rusticis, ex quibus nonnulli im-*

E

peri-





peritiores & magis lubrici sunt, quam minores vel foeminae, beneficium restitutionis ac intercessionis locum quoque haberet. Neque id satis est, ut dicamus, ex ratione faciendam extensionem; ubi ratio ita movet, ut voluntas tamen sit causa per se sufficiens, etiam sine ratione illa. Grotius *de jur. pac. & bell. lib. 2. c. 16. n. 8. & 20. Privilegium autem*, inquit Limnae. *de jur. publ. lib. 6. c. 1. num. 19. rationem non ut efficientem, sed ut concomitantem habet.* Et sicuti virtus politicè non nobilitat: sed principis benigna voluntas, quæ ex virtuosorum choro, non quemlibet indistinctè, sed quem velit, plebeja eximit conditione, atq; nobilium transfert in classem, uti ibidem scribit Limnae: *d. l. ita non ratio, sed Principis benigna voluntas hoc privilegium tribuit, & quem velit, in privilegiorum classem transfert.* Et quid opus est conjecturis, ubi legislator expressè mentem suam explicavit, quod sc. sine exemplo alicui subvenire velit? Hinc in simili privilegiorum causa concludit. Acuratissimus Jctus Dn. Joh. Otto Tabor. *in d. tr. d. metat. : dicens: Etenim sola ratio jus non facit in exorbitantibus à jure communi, nec jura specialia absq; L. autoritate ad similes casus extendere licebit,* consentit Dn. Carpz. *p. 3. const. 28. def. 7. n. 5.* Et Cujac. *lib. 9. respon. Papin. in l. pen. qui sine manumiss. Licet aliqua,* inquit, *Constitutio à Ictis ad alios casus porrecta fuerit: nec tamen nobis tam licet porrigere ad alios casus sine L. autoritate.*

XXIX. Veniamus ad specialiora, & quidem 1. *ad Liberos*, quibus Dn. Mantz. *d. dec. 3. q. 1. n. 15. & alij ibidem allegati Dd. competentiae beneficium attribuunt.* & hoc 1. propter conjunctionem sanguinis. 2. ob alimenta liberis debita. 3. propter naturam correlatorum, Mantz. *d. l. 4. per l. 18. D. sol. matr. & l. 30. D. de re judic. Donell. 27. comm. 9. 5. per l. 17. ibi: liberisq; eorum. D. de re judic.* Verum quæ nostra sit sententia, haud obscure ex generali regula, & præcedenti tradita, & ab ipso Mantz. agnitâ cognosci potest. Audiamus ipsa Dn. Mantzij verba, quæ leguntur *d. dec. 3. quest. 1. num. 105. ibi: negativam sequimur, propterea quod certa persona enumerentur in jure, quibus hoc privilegium competit, inter quas non reperiuntur prædictæ, cum itaq; in jure non reperiamus hoc expressum, erubescimus sine lege loqui.* Cum itaque nec  
de li-



de liberis expressam concessionem adducat, nec adducere possit; liceat nobis adversus ipsum iisdem armis pugnare, quibus ipse adversus alios usus est. Et si ipse erubescit in causa aliorum aliquid asserere sine lege, cur non etiam in causa liberorum? Neque quicquam faciunt rationes ab eo adductae, ad obtrudendam nobis suam sententiam. Primum enim eodem, quo affertur, destruitur fundamento. Ostendat nobis ubi fundata sit haec sua propositio: quicumque sanguine juncti sunt, illi non in solidum conveniri possunt. Ita enim, ut aliquid probet, necessario formanda esset. Secunda corrumpitur ex iis, quae supra l. 12. dicta sunt, & si illi aliqua vis inesset, illud saltem probaret: liberos contra patrem divietum, non vero, contra alios ascendentes hoc beneficio gaudere. Et eodem fundamento affirmandum esset, omnes consanguineos illo gaudere; quia secundum communem, onus alimenta praestandi, in subsidium omnibus cognatis incumbit, Dn. Carpz. lib. 4. tit. 8. resp. 59. n. 14. & seqq. ibi: in respons. Scabin. Lips. Sondern es wird dasselbe/ bis so lang es sich selber ernehren kan/ von dem nechsten Blutsfreunden notturrffriglich billich vnderhalten / B. R. W. Verum annon hoc esset sine lege loqui? Tertium ejus sententiae fundamentum, infirmum atque arenosum esse, ut alia taceamus, ex eo perspicue cognoscimus, quod, eo admissio, necessario quoque asserendum esset; liberos & libertos, nec in jus sine venia vocari, nec ad juramentum malitiae adstringi, nec famosam actione conveniri posse, quae tamen nec ipsum contra expressos juris textus concedere, certissimum credimus. Nam ipse Mantzius doli exceptionem in d. dec. 3. q. 1. contra liberos admittit, quae tamen contra parentes minimè opponi potest, l. 4. §. 16. D. de dol. mal. & met. except. Patronus non compellitur jurare de rerum amotarum judicio: Libertum verò ad illud adstringi, quis dubitat? Praeterea argumentum à correlatis in Privilegiis & exorbitantibus non procedere, communis est Dd. sententia, Mevius ad Ius Lubec. p. 1. tit. 5. art. 7. Nec Mantz j sententiae favent textus à Donell. d. l. adducti, illam potius oppugnantes. Utrumque enim de casu speciali loqui, cuiuslibet rectè intuenti apparet: itaque ut exceptiones, nostram potius confirmant, quam destruunt sententiam. Nam in d. l. 18. D. solut. matrim. privilegium mariti ratione dotis competens, ad filios, qui patris heredes extiterunt, tantum extenditur. Quid autem opus fuisset illa speciali extensione, si





contra parentes suos generaliter hoc beneficio liberi muniti essent. Et si vi hujus *l. 18.* liberis in genere competeret privilegium competentiae, quâ ratione illud in *d. tr. dec. 2. quest. 1. num. 35.* deneget nepotibus, qui utique liberorum nomine veniunt, videre non possumus. In *l. 30. D. de re judic.* nihil aliud dicitur, quam actionem ex causa donationis in solidum non dari; & hoc maximè inter parentes & liberos esse observandum; quod lubenter concedimus: sed illud, præter causam donationis, in aliis quoque causis, liberis, quâ liberi sunt, competere, antequam firmiora producantur fundamenta, admittere haud possumus. Tandem quæ sit sententia *l. 17. D. de re jud.* nemini, verba ejus inspicienti, obscurum esse potest: loquitur enim in illo vers. *Ictus de liberis patronorum,* quod sc. ipsis hoc privilegium competat, contra libertos parentum suorum, nihil vero ibidem de liberis respectu parentum disponitur. Similes propositiones atque constitutiones reperiuntur in *l. 4. D. de in jus vocand. l. 5. pr. de obs. parent.* quis tamen ibidem constituta ad liberos respectu parentum suorum trahere vellet?

XXX. Liberis subjungunt *libertos*, Mantz. *d. q. 1. n. 31. 1.* propter naturam correlatorum. 2. propter onus liberos alendi, quod patronis incumbit. Verum cum & hi autoritate & Legislatoris voluntate, à quâ suum esse habet hoc & alia privilegia, destituantur, non possumus non ab illo, in hoc quoque casu, dissentire. Ne hitum enim faciunt rationes ab eo adductæ. Levitas prioris argumenti, quod ex natura correlatorum elicere conatur, ex modo dictis liquet: Quò in specie etiam faciunt, *l. 16. D. d. jurejur. l. 5. & seqq. D. d. obseq. parent. junct. l. 17. §. 1. d. furt.* Rationi secundæ, præter ea, quæ supra *th. 12.* & præcedenti *29.* dicta sunt, & hoc reponimus: Quod Patronus, docente Modestino in *l. 6. pr. D. d. agnosc. & alend. liber.* ut liberto alimenta præstet, etiam si possit, absolutè tamen non adstringatur. Ipsi enim liberum est, an futura liberti hereditate, & iis, quæ libertatis causa imposita sunt, carere, an verò alimenta præstare velit. *d. l. 6.*

XXXI. *De fratribus*, an & illi hoc beneficio gaudeant, ardua quoque agitari solet quæstio. Fundamenta quibus affirmantes moventur, hæc sunt. 1. *l. 17. ibi: liberiq; eorum. D. d. re jud.* Mantz. *d. q. 1. n. 20. 2. arg. l. 63. pr. ibi. cum societas jus quodammodo fraternitatis in se habeat. D. pro socio. ne plus tribuatur fictioni, quam*  
veritati,



veritati. cum propter quod unum quodque tale est, illud magis  
 tale, Mantz. d. l. n. 21. Hillig. ad Donell. 27. c. 9. L. e. 3. quia fratres  
 sibi invicem alimenta debeant: eapropter dolum fratris ferendum  
 non esse, qui totum voluerit extorquere, Mantz. d. n. 21. In hi-  
 sce maxima pars acquiescit; in tantum, ut Caspar. Mantz. d. q. 1.  
 n. 34. scribere haud vereatur: *Quis igitur de veris fratribus du-  
 bitaverit, si hoc in sociis?* Quamvis autem tot tantorumque Viro-  
 rum Autoritas, quam comiter observamus, nos facile perterrefa-  
 cere posset: Attamen cum nec desint etiã haud infimi ordinis Icti,  
 qui negant, fratres, quã fratres, hoc beneficium habere; Horumq;  
 negativa sententia, propter defectum specialis concessionis fratri-  
 bus factæ, juris fundamentis convenientior videatur. Eapro-  
 pter tutius existimavimus, fratres ad fratrum charitatem atque  
 misericordiam remittere, quam privilegia ad personas non expres-  
 sas extendendo, limites doctrinalis interpretationis excedere. Ne  
 verò aliquid dubii relinquamus, affirmantium fundamenta veni-  
 unt perpendenda. 1. Quod attinet l. 17. D. de re jud. quam inconfi-  
 derate illam adduxerit Mantz. & quæ eius sit sententia, ex  
 ipsis d. l. 17. verbis, & quæ θ. præced. 39. indicavimus, satis, ut pu-  
 tamus, evidenter quilibet cognoscere poterit. Secundum, quod  
 plurimos in illam sententiã perduxit, licet haud contemnendum  
 videatur: verendum tamen est, ut velit animus in eo acquiescere.  
 Rationem suppeditat, sed auctoritatem ac Legislatoris voluntatem  
 hîc maximè necessariam, minimè probat. Ut enim ob eandem,  
 ita nec ob majorem rationem, in privilegiis idem velle videntur  
 Legislatores. Privilegiis sine exemplo subvenit Princeps, l. 1. in fin.  
 de const. princip. Ergo non sunt producenda ad consequentias, l. 14  
 D. de LL. Hinc passim à Dd. hæc generalis traditur regula: *Pri-  
 vilegia, nec ex identitate aut majoritate rationis extendi posse.*  
 Thusc. tom. 6. lit. P. conclus. 731. n. 2. & 7. Dec. ad l. 68. num. 6. Et si  
 hoc argumentum necessitatem aliquam in se haberet, quã ratione  
 consanguineos & uterinos, in quibus ratio d. l. 63. jus sc. fraterni-  
 tatis, etiam pugnat, excludere posset? Mantz. d. q. 1. num. 23. Nam  
 ratio illa, quam ibidem subjicit, suspecta redditur, per ea, quæ tra-  
 dit Dn. Carpz. d. respon. 59. Præterea nec absolum esse, interdum  
 plus fictionis tribuere, quam veritati, docet nos exemplum ado-



prionis. Filius enim arrogatus intra pubertatis annos constitutus, si sine justa causa emancipetur, quartam bonorum patris arrogatoris consequitur; ut autem filius naturalis emancipatus aliquid consequatur, nihil invenitur constitutum. Denique regula illa: propter quod unum, quodque tale est, illud magis tale, non ita nudè ac simpliciter accipi debet. Non enim sequitur: homo est ebrius propter vinum; Ergo vinum magis est ebrium. Petrus est tutor propter pupillum, ergo pupillus magis est tutor. Titius habet usum fructum propter dominum. Ergo ipse dominus magis habet usum fructum; Ut enim dicta regula procedat, plerique requirunt, ut prædicatum, in quo duo inter se comparantur, ambobus competat, & de utroque prædicetur, & quidem ita causæ competat, ut se non habeat per accidens ad effectum, sed ut per ipsum causa influat in effectum, Dn. Daniel. Sthalius *tit. 3. de Regul. philosoph. pag. mihi 121. & seqq.* Ut itaque in nostro casu locum inveniatur dicta regula, primò omnium, demonstrari debet fratribus competere hoc privilegium, & sociis ea propter, quia fratribus competit, quod antequam demonstrant dissentientes, ad dictam regulam sine petitione principij confugere haud possunt. Et imprimis d. regulam in causis impulsivis, qualis hoc in casu jus fraternitatis quoque est, non procedere, sat multis exemplis doceri posset. Sic falsum est: pater habet immunitatem propter liberos; Ergo liberi magis habent immunitatem. Filiusfamil. qui pecuniam mutuo accepit, propter odium sceneratorum non potest conveniri; ergo sceneratores in simili causa etiam non possunt conveniri. Per traditionem transfertur dominium propter emptionem; Ergo magis per emptionem transfertur. Sic si quis liberos fratremque germanum habens, in suo testamento Titio extraneo hisce verbis legatum relinqueret: Titio quia est qs. frater meus, vel quia est frater meus adoptivus &c. centum do lego, exinde inferri haud potest; ac si fratri naturali idem quoque relictum videatur. Ratio enim legandi legato non cohæret, inquit Papi- nianus *in l. 72. §. 6. de cond. & demonst.* Nec tamen legislator, fratribus naturalibus non indulgens, quod fictis tantum fratribus concessit, ea propter iniquitatis accusari poterit: cum secundum communem Dd. sententiam, fratri inopiâ laboranti aliter prospectum sit; ut sc. implorato iudicis officiò alimenta, etiam à fra-  
tribus



tribus in subsidium petere possit. Quod est tertium Dn. Mantz ij  
fundamentum, verum quam debile, ijs, quæ in prioribus diximus,  
probè cognitis, ulteriori demonstratione non indiget.

XXXII. Veniamus ad *militēs togatæ militiæ*, nimirum  
Doctores, Professores Advocatos &c. quibus multi hoc quoque  
privilegium asserunt, Mantz. *d. q. 1. n. 77.* Matth. Brun. *d. cession.*  
*bon. q. 10. quart. quest. princip. n. 3. & 7.* Berlich *part. 1. conclus. 8. n.*  
*53.* Barthol. Chaffen. *in suis comm. in consuetud. Burgund. rubr. des*  
*justices & droictz d' icelles.* Rationes autem ad illam opinionem  
roborandam has præcipuè habent. 1. Quia illorum scientiâ totus  
illuminatur Mundus, & ad obediendum DEO ac Magistratui vita  
subjectorum informatur, *auth. habita. C. ne filius pro patr. & non*  
*minus provident generi humano, quam si præliis & vulneribus*  
*patriam parentesque salvarent, l. 14. C. de Advocat.* Mantz. *d. l. 2.*  
Quia militum privilegia dictis personis competunt, utpote quia  
etiam pro Republica militare dicuntur, *d. l. 14. Mantz. d. l. n. 78.* Be-  
nius *d. privil. ICTor. part. 2. privil. 38.* 3. Quia milites togatæ mili-  
tiæ incarcerari non possunt, Brun. *d. l. n. 3.* Scholares quoque hac  
classe contineri & hoc privilegio gaudere tradit Horat. Lutius *in*  
*tr. d. privil. Scholar. privil. 5.* Vesum in contrariam abeunt senten-  
tiam Duaren. *ad l. 6. D. de re jud. Donell. 27. comm. 9.* Ludw. Exer.  
*Iust. 16. §. 8. L. d. Hænon. disp. 21. §. 4. L. c. Johan. Uffel. in not. ad*  
*Covarr. lib. 2. var. resol. cap. 1. n. 4.* Georg. Acac. Enenk. *tr. d. priv.*  
*milit. c. 33. inf.* Et hoc ob unicam, satis tamen firmam, rationem,  
quod & in hisce voluntas & autoritas legislatoris deficiat. Nam  
*l. 6. pr. l. 18. D. d. re judicata,* quas pro priori quoque opinione, li-  
cet haud feliciter adducunt, de militibus, qui sub armatâ militiâ  
stipendia merentur, à quibus ipsi Dissidentes togatos distingunt,  
nominatim loquuntur. Qualitas autem legi adjecta, restringit ejus  
dispositionem, Gothof. *ad d. l. 6.* Ea propter inquit Donell. *d. l. verba*  
*illa: qui sub armata militia &c. in dd ll. excludunt togatos, aliàs*  
*ineptè addita uni speciei tribuerent stultè, quod omnibus com-*  
*mune.* Nec hoc evertunt, quæ Donello Hilliger. ibidem oppo-  
nit: Nimirum togatos milites, non minus Reipublicæ prodesse,  
ac privilegiis dignos esse, ac milites armatæ militiæ. Esto: Pu-  
temus & nos: Verum hîc non quæritur de causa, an justa aliqua

ac. sub.





ac sufficiens adsit, quæ Principem ad hoc privilegium concedendum movere possit: Sed de ipsa actuali Principis concessione; an hisce personis unquam concesserit Princeps, ne in plus quam facere possint, conveniantur. Prius omninò concedimus: Sed posterius desideramus. Quippe cum Legislator nec ob eandem, nec ob majorem rationem in jure singulari idem velle videatur, Carpz. p. 3. c. 4. def. 12. n. 16. Enenk. d. priv. milit. lib. 1. c. 9. n. 19. Exinde quoque prioris Dn. Mantzii argumenti nullitas apparet. Ad secundum, pro nobis respondet Enenk. tr. d. privil. lib. 2. cap. 4. n. 42. ita scribens: *Illorum autem audaciam nunquam ego excusavero, qui sæpe non ita magnâ ratione moti, privilegia omnia etiam quæ consideratè & determinatè maximè circumscripserunt Principes, ex uno genere in aliud diversum transferunt: & quo loco ipsi principes difficiliore se plerumq; exhibere solent, hi adeò sunt faciles & benigni, ut paucis versibus ac pagellis, res maximi ponderis & momèti præstare posse præsumant. Tales sunt v. c. qui militum privilegia ad Clericos, ad Scholares, Advocatos &c. transferre solent. Equidem militibus multa Imperatores & magna privilegia dederunt. Sed & sua Clericis, sua Advocatis, sua Scholaribus dederunt, hæc ille. Tandem à privilegio, de non incarcerando, non rectè concludi ac inferri ad beneficium competentia, ipse Mantzius agnoscit; quodque unicum fœminarum exemplum expeditum reddit. Fœminæ enim pro debito civili carceri includi non debent *auth. hodie C. d. priv. carcer.* quis tamen in universum fœminis privilegium competentia attribueret? Frustrâ etiam pro Scholaribus laborat Horat. Lutius. d. l. nihil, quod novam responsionem mereatur, adducens. Nam qui leviter tantû examinat d. tr. facilè deprehendet multa in illo contineri, quæ magis cõveniunt benevolentia Autoris erga Scholares, quam veris juris fundamentis. Quæ autem huc usque de togatis militibus dicta sunt, ea de doctrinali interpretatione, intelligi volumus. Contrariam usualem si quis probet, illi, ut potiori, lubentissimè cedimus. Nam Privilegia ob similem ac eandem rationem, uti authenticâ, ita usuâli interpretatione extendi posse, nemo sanè dubitat. Thusc. tom. 6. Lit. P. concl. 732. n. 7. Sixtin. de regal. lib. 1. c. 5. n. 108. Ex observantia enim optima desumitur inter-*

inter-



interpretatio, Carpz. *decis. 29. n. 9.* FrantzK. *in suo Comm. π. tit. d. LL. n. 10.* & in effectu, respectu illorum, apud quos est recepta, pro lege habetur, FrantzK. *d. l.* Observarunt autem in iudicando priorem affirmativam, Doctoribus sc. & Advocatis hoc beneficium competere, Domini Scabini Lipsienses, ita rescribentes: *Welches beneficium competentia denen Illustribus, Adels Personen / Doctoribus, Clericis nach gemeinen Wahn der Rechtsgelehrten / heutiges Tages / auch auff den Sächsischen Boden gleiches Falls / vnnnd nicht weniger als den Kriegs-Deuten zustehet. ap. Carpz. p. 1. const. 32. def. 18. in fin.* Ubi autem Consuetudo, seu observantia hanc extensionem approbavit, ibi non immeritò quæritur, an Doctoribus Juris prærogativa sit tribuenda? Doctoribus juris, minimè verò Doctoribus Theologiæ, Medicinæ ac Philosophiæ, hoc beneficio subveniendum esse existimat, Berlich *p. 1. conclus. 80. n. 53.* cui tamen justissimâ ratione contradicit Dn. Carpz. *d. def. 18. n. 6. nam ibidè inquit, Theologorum labores generi humano longe magis sunt proficui, quam unquam fuit studium maximi etiam Icti.* Non enim Icti tantùm, sed & Theologi, Medici atq; Magistri militum togatorum nomine comprehenduntur, unde & hi quoque quasi castrense peculium habere dicuntur. *l. sacro sancta 34. l. 50. & auth. presbyteros & diaconos C. d. Episcop. & Cleric. l. fin. C. d. inoff. testam.*

XXXIII. Militiam togatam distinguunt Doctores, in secularem & cœlestem: Unde & togati milites vel secularis militiæ, vel cœlestis. De prioribus in θ. præcedentibus: posterioribus, clericis sc. hoc privilegium communiter attribuunt Dd. Hart. Hartm. *2. Obs. tit. 18. obs. 2. n. 17. Wesenb. Consil. 50. n. 19. Berlich. 2. conclus. 28. n. 37. Mantz. dec. 3. q. 1. n. 79.* Verum ab illorum sententiâ haud temerè recedit Duar. *ad l. 6. D. d. re jud.* ubi scribit: *durum esse hoc jus singulare extendere interpretatione; cum præsertim verba a deo plana sint ac perspicua, (intelligit. d. l. 6.) non loquuntur enim simpliciter de militia.* Cæterùm cum affirmantium rationes tantùm pro extésione pugnent, ex prædictis ad illas facillimè responderi poterit: Nisi fortè quem adhuc urgere possit, textus *c. Odoardus x. d. solut.* quem nonnulli quoque pro illorum sententiâ adstruenda produciunt, illumque valdè stringere existimant.



mant. Verùm, si licet dicere, quod res est, nihil probat. Quæ enim fuerit mens Pontificis ad certum casum rescribentis, ex ipsius *d. cap.* verbis, perspicuè satis cognoscitur: Nimirum, Clericum, nec ob confessâ debita, excommunicari posse, & excommunicationis sententiam in illo casu, de quo rescribit Pontifex, à iudice latam, præstitâ cautione de solutione, si ad pinguiorem pervenerit fortunam faciendâ, statim esse rescindendam. Quod autem voluerit Clericis certum privilegium concedere, ac determinare, in quantum Clerici conveniri aut condemnari possint, de illo ne syllaba quidem ibidem invenitur. Nisi itaq; alium juris canonici textum, illis magis faventem adducant, differentiam, inter jus civile & canonicum statuere non audemus. De usuâli interpretatione ad *ð. preced. in f.*

XXXIV. Nobiles quoque hoc beneficiô à totali excussione sese defendere posse, plurimi asserunt, minimè verò probant. Itaq; Dn. Limnæ. *lib. 6. c. 4. n. 59.* aliisque qui idem censent, reponimus auctoritatem nobis adstipulantis Covarr. *2. var. resol. c. 1. n. 4.* Dn. Ludw. *Exer. Iust. 16. ð. 8. L. d.* Neque huic adversatur, quod supra de equitibus & Vasallis diximus. Nam quamvis Nobiles quoque, equitum vocabulô generaliter acceptô, equites dicantur, unde & illorum ordo communiter die *Ritterschafft*: Attamen re ipsâ consideratâ, Nobiles ab Equitibus distingui, neminem inficiari credimus. Quippe hi demum ex nobilibus creantur, & quidem solum ex nobilibus, si fidem mereantur, quæ Dn. Limnæ ex Claud. Fanchet *de l'origine de chevaliers cap. 1. pag. 13. & 14.* *Car la principale qualité requisé à celuy, qui poursuit d' estre fait chevalier est d' estre Gentil homme de la part de son pere & de sa mere.* Et Equites ac Nobiles dignitate ac privilegiis differre, nec nobiles, quâ nobiles, veros esse milites, ac privilegiis militum gaudere, expressè docet Limnæ *d. jur. publ. d. c. 2. n. 10. & 11.* Enekn. *d. priv. milit. lib. 1. c. 6.* Olim quidem omnes ferè nobiles, simul milites extitisse refert Besold. *l. 1. pol. 11. n. 45.* Limnæ. *d. c. 2. n. 2.* verum hodiè longè aliis vivitur moribus. Nec omnes Nobiles vasallos esse, ac militaria feuda tenere, neminem latere potest. Si enim omnibus, qui hodiè Nobiles creantur, feuda quoque concedenda essent, omnium terrarum globi non sufficerent. Denique nos à nostra sententia haud dimovere potest, quod scribit, Vir quidam



quidam Consultissimus in oratione *de privil. Doctof. pag. 11. vers. generaliter*. sancitum sc. esse, ut omnes in dignitate constituti hoc gaudeant privilegio. Verba ejus hæc sunt: *Generaliter sancitum est, quod personæ in egregia dignitate constitutæ veluti Nobiles, Doctores & similes, exigi nequeant, nisi quantum facere possint.* Illumque sequitur Autor *disc. 18. vol. 3. apud Arum d. jur. publ. 9. 9. L. c.* Quippe in hunc usque diem nos fugit, generalis illa constitutio. Antequam itaque mutemus mentem, prius, quando & à quo illa promulgata sit, ubique extet, omninò erit probandum. Observantiam seu consuetudinem, ac si illa nostræ sententiæ esset contraria, si quis opponeret, fortassis facilius ad stipulatores inveniret. Personas Illustres ut Principes, Magnates, & Nobiles ex recepta consuetudine militum privilegiis gaudere, scribit Mevius *de jur. Lubec. p. 2. t. 1. n. 118.* Verum ut facti quaestionem, Judicis arbitrio, an scilicet illa satis probetur, relinquimus. Dnn. Scabinos Lipsienses dictis personis hoc privilegium adjudicasse, ex illorum responso superius allato constat. Ubi verò prædicta observantia deficit, illud omninò censemus observandum, quod Bach. *ad Tr. v. 2. d. 24. 9. 4. L. h.* tradit: Ad officium scilicet Magistratus pertinere, habere rationem qualitatis personarum, & dignitati hoc attribuere, ut mitiori viâ creditoribus satisfiat, & si obtinere possit, ut alimenta iis relinquuntur, quod ratio commiserationis suadet, *arg. l. 6. D. d. cess. bonorum.*

XXXV. Tandem de debitoribus, per vim majorem bellicarum calamitatum ad egestatem redactis, quid nobis videatur, paucis exponemus. Plerique autem hisce privilegium competentix assertum eunt, inter quos novissimè agmen ducit Caspar. Mantz. *in patroc. debit. depaup. dec. 3. q. 2.* Equidem si naturalem æquitatem & Christianam charitatem respicimus, fateri oportet, ab hisce debitoribus, omni commiseratione dignis, solidum non exigere, sed erga illos, liberalitatem non recipiendo exercere, maximè honestum, pium atque gloriosum esse. Verum eò non evincitur, idem simpliciter velle Ius civile: quandoquidem teste Ulpiano in *l. 6. de I. & I.* jus civile non per omnia servit juri naturali; sed interdum paulatim ab eo recedit, uti superius quoque indicavimus. Cum itaque jure civili generali,





constitutum sit, à debitoribus solidum exigi posse, nec ex juris necessitate illis aliquid ad alimenta sufficiens relinquendum esse. Ea propter ut quis contra generalem hanc constitutionem, ne in solidum condemnetur, impetrare, ac privilegio hocce uti possit, non sufficit naturalis ratio, sed civilis potestatis autoritas, quâ quis eximatur à d. generali constitutione, simul adesse debet. Si enim sufficeret naturalis ratio & æquitas, quid opus fuisset, speciali privilegio, parentibus ac aliis personis hoc concedi? Autoritas enim ac voluntas Legislatoris, quasi spiritus seu anima rationem, quæ instar corporis, quoad forum civile, quasi vivificat, Frantz. in suo comm. 7. tit. de LL. n. 18. Unde jus quoque, intellige civile, ex duabus quasi partibus, æquitate, quæ materiæ, & autoritate, quæ formæ loco est, constare dicitur, Frantz. d. comm. tit. de Iust. & Iur. n. 49. Ut itaque à Mantzio divortium faciamus, solâ, satis tamen firmâ, suprâ à nobis adductâ regulâ movemur. Quia sc. debitoribus belli calamitate depauperatis expressè non legitur concessum hocce privilegium. Quod ipsum ipse Mantz. agnoscit d. q. 2. n. 37. ubi scribit; *Et quamvis hoc in terminis terminantibus non reperiatur in jure expressum.* Ita ergo argumentamur. Cuicumque privilegium competentia expressè non est concessum, ille in solidum conveniri potest: atqui debitoribus hisce, privilegium competentia expressè non est concessum. Ergo hi debitores in solidum conveniri possunt. Major est ipsius Mantzii dec. 3. q. 1. n. 105. Minorem quoque admittit. d. q. 2. n. 37. Cur non & conclusionem, firmiter inde deductam? Quia autem Dn. Mantz. d. q. 2. nonnulla argumenta in medium affert, quibus suam opinionem fuleire annitur, operæ fuerit, nihil eorum omittere, quæ ad plenam ejus opinionis refutationem facere videntur. Principiò igitur, ut probet, dictis debitoribus hoc privilegium competere, hunc proponit Syllogismum: *Inhumanum est spoliatum fortunis suis in solidum damnari:*

( *Atqui debitores moderni, de quibus mihi in presentia sermo est.* ) *sunt spoliati fortunis suis*  
 Ergo *Inhumanum est debitores modernos in solidum damnari.*

Respon.



Respondemus & quidem breviter, totum argumentum concedendo. sicuti autem illud satis clarum est, nullamq; habet dubitationem: ita quoque apertum est, illud non concludere, quod est in quaestione. Nec enim ipsi diffitemur, humanitati maximè consentaneum esse, cum hisce & similibus debitoribus liberaliter & non acerbè agere. Verum inde non sequitur, jus quoque civile huic æquitati & naturali rationi assistere; ut & in foro civili dicti debitores, mediante aliquo civili remedio, ab invitis quoque creditoribus illud otinere possint. Quis itaque toleret hanc consequentiam. Humanitati conveniens est, dictos debitores non in solidum damnari. Ergo Legislator civilis ipsis quoque concessit privilegium competentiae? De hoc itaque, ut pote ex principiis peregrinis & heterogeneis deducto, non multum erimus solliciti. Sed cum quidam in disputatione inaugurali inter alias quaestiones miscellaneas, hanc quoque proponat & pro affirmativa paulo aliter ex §. f. I. de Action. inferat: ideò, quanta vis ipsius argumento insit, paucis videamus. Ita autem argumentatur: Quicumque bonis & fortunis suis spoliatus est, ille gaudet privilegio competentiae:

Atqui dicti debitores &c. Ergo

Major, inquit ille, in dubitati juris est, per §. f. I. de Action. Imò verò, nobis profectò dubia videtur, & nisi expresso textu illam probet, non erubescimus dicere: majorem ejus falsam esse, in dubitati juris est. Quippe frustra advocat §. f. d. d. actio. in quo debitori, qui creditoribus bonis cessit; conceditur hoc beneficiū, & ratio, quæ principem ad hoc movit, ibidem subjicitur, quia inhumanum est, suis facultatibus spoliatum in solidum condemnari. Verum illud convertere, & prædictò modò ex inde inferre: Ergo quicumq; bonis suis spoliatus est, ille gaudet beneficio competentiae; quid aliud est, quam à ratione privilegii ad ipsum privilegium affirmative argumentari? Quod quam absolum sit, ex iis, quæ superius adducta sunt, cognoscat, & nos ad secundum Dn. Mantzii argumentum dimittat. Est autem illud tale: *Ubi eadem ratio, ibi eadem juris dispositio.* Atqui &c. Ergo &c. Verum, quod pace ejus dixerim, falsa est major propositio, quoad privilegiorum materiam, in quâ & nos hîc sumus constituti. Utut enim



ratio in lege expressa, vel aliunde probabiliter collecta, est signum  
 mentis seu voluntatis, ut illa, ad omnia in quibus similis, aut ea-  
 dem ratio inveniri potest, extendatur: attamen hoc in jure  
 singulari non obtinere, superius satis, ut putamus, demonstravi-  
 mus. Et si aliqua vis huic argumento inest, cur aliis Doctoribus  
 eodem argumento, quoad alias personas utentibus repugnat,  
 Mantz. dec. 3. q. 1. n. 104. & seqq? Tandem autoritatibus nostram  
 sententiam labefactare conatur, & pro sua sententia legitiman-  
 da novem, qui idem sentiunt, adducit Doctores. Respondemus,  
 Doctores, quorum sententiam rejicit Dn. Mantzius d. q. 1. n. 105.  
 non saltem novem, sed bis novem, qui pro illorum sententia pu-  
 gnant, laudare posse; & tamen illis non obstantibus, ipse ab illis  
 recedit. Liceat itaque & nobis, quod in sua persona non ini-  
 quum judicavit. Nec nobis desunt magni nominis Jcti, qui  
 ipsi opponi possent. Verum cum nobis animus non sit, Dd. au-  
 toritatibus pugnare: sufficiat testimonium Dn. Joh. Otton, Tabor,  
*in consultatione academic. de presid. debit. per calam. bell. in prefat. n. 2.*  
*ubi scribit, sed quia Dd. hanc in parte (loquitur autem ibidem de*  
*hac ipsa quaestio) habent multos contradictores, qui privilegium*  
*competentiae non patiuntur ultra casus à lege expressos extendi,*  
*ut fatetur ipse Mantzius. Restat ultimum Dn. Mantzij argumen-*  
*tum ex Nov. 135. desumptum, quod proponit d. q. 2. n. 65. & 66.*  
 Verum nec sententia, nec autoritas d. Nov. nos, ut à nostra abea-  
 mus sententia, movere potest. Nam autoritatem ejus quod con-  
 cernit, vocatur illa in dubium à multis Doctoribus, & quidem  
 ex rationibus haud contemnendis. Audiamus de illa Bachov.  
 qui in notis ad Tr. v. 2. disp. 24. th. 4. lit. b. ita scribit: *ut tamen*  
*hic notetur, quod d. nov. 135. à recentioribus, ex Graecis exem-*  
*plaribus sit inserta, ut proinde ejus priscis interpretibus incogni-*  
*ta vix in foro ratio haberi possit?* Gudelinus de jur. noviss. lib. 4.  
 cap. 16. n. 53. quoque testatur, hanc constitutionem Iustiniani usu  
 non esse receptam, solumque cessionem bonorum hodiernis  
 moribus liberare debitorem à carcere, non inopiam, nec jus ju-  
 randum, quod eà de re praestare quis paratus sit, Rittershus. in  
 comm. suo ad Nov. p. 9. cap. 30. n. 3. idem confirmat, eandemque  
 causam fuisse suspicatur, cur ex hac novellâ, nulla fuerit authen-  
 tica



tica confecta, & codici inserta. Nec verba *d. Nov.* penitus inspicientes, aliquid nobis contrarium, deprehendere valemus. Nihil enim aliud in illa debitoribus remittitur, quam quod non cogantur bonis cedere, uti ejus rubr. quoque indicat: Sive ut loquitur ipse Imperator: *ne opprobrio ignominia* (cessionis sc.) *ad extremam inopiam cogantur.* Ut autem alio modo, id quod super est, creditores consequi non possint, sed necessario alimenta debitoribus relinquere debeant, de eo nihil ibidem constitutum invenitur; imò contrarium potius ejus verba probant. nimirum jubetur debitor, ut juramentum præstet, nihil sc. super esse, ex quo possit solvere debitum, adeò ut & actiones ipsis competentes & competituras, creditores sibi vindicare possint. Nihilque ibidem, præter bona uxoris, excipitur: exceptio itaque in casibus non exceptis firmat regulam. Et quod hæc *d. Nov.* sit sententia: nempe, ne cogatur debitor in illo casu bonis cedere; creditores tamen omnia, præsentia & futura debitoris bona consequi posse, ipse Mantzius docet *dec. 2. q. 2. num. 46. ibi. Sed creditoribus pro extremo subsidio datur jus quantum potuerint bona debitoris consequi & vindicandi & conveniendi debitoribus debitoris, & n. 47. quo tamen casu creditoribus permittitur in eadem Nov. ut ipsi conquirant ac vindicent bona debitoris (NB.) quæcunque possint, imo & debitoribus debitoris sui conveniant,* Cujac. *ad d. Nov. 135. inf. Rittershus. d. p. 9. q. 30. n. 2. Idem quoque docet Dn. Ioh. Otto Tabor d. præfat. n. 2. summam d. Nov. referens, ibi. ut si juret, se non solvendo, sed paratum esse, quod ex priore fortuna bonorum sibi reliquum fuerit, id omne creditoribus cedere.* Et Bachov. *ad Tr. d. disp. 24. th. 4. l. b. ibi. sed sufficit juramentum illos præstare, quod nullam pecuniam reliquam habeant, & cedere actiones.* Hinc ipse Mantz. *dec. 3. q. 7. n. 1. expresse docet pinguius esse beneficium competentia, quàm remedium Nov. 135.* Nihil itaq; in *d. Nov.* aliud remittitur, quam, ne debitoribus illi, ad carceres evitandos ignominiosum cessionis remedium, arripere cogantur. Quamvis enim ex bonorum cessione vera juris infamia non contrahatur, *l. ii. C. de his qui not. infam. l. 8. C. qui bon. ced. tamen pudorem sugillari,*



lari, & maculam quandam aspergi dubium non est, tum ex oratione Cicer. pro Quint. tum ex ipsa d. Nov. 135. Bach. ad §. 37. I. d. Action. n. 3. Verum cur tam solliciti sumus de constitutione, cujus in foro nulla autoritas?

XXXVI. Super sunt adhuc aliae personae, puta Praeceptores, Patroni Ecclesiarum, Ecclesiae, Monasteria &c. quibus multi quoque Privilegium asserunt, Hart. Hartm. 2. tit. 18. obs. 2. n. 17. verum ad illorum fundamenta, cum à prioribus haud sint aliena, ex ijs, quae huc usque dicta sunt, haud difficulter responderi poterit. Et haec de personis principalibus.

*De personis  
accessoriis.*

XXXVII. Privilegia personalia ad heredes non transire, sed morte privilegiariorum extingui, juris est notissimi, l. 42. D. de admin. tut. l. 196. de R. I. Nostrum privilegium personarum conditioni ac qualitati cohaerere, §. 6. satis probavimus; quin itaque cum personis extingatur, & ad alios, in illorum locum succedentes non transeat, amplius dubitandum non est. Exploratum est, inquit Ulpianus, in l. 12. D. sol. matrim. hoc heredi non esse praestandum; & Paulus in l. 25. D. de re jud. sciendum est heredes earum personarum non in id, quod facere possunt, sed in integrum teneri. Idem legitur in l. 24. §. 1. l. 41. pr. D. de re jud. l. 63. D. pro soc. l. 4. §. soli. 3. D. quod cum eo qui in alien. pot. Neq; enim juris analogiae conveniens est, quod Princeps Practicorum, l. 2. tit. 9. r. 9. n. 18. scribit: *Privilegia etiam personalia, modò non personis particularibus nominatim, sed aliquibus personarum generibus, videlicet, Scholaribus, Militibus, Minoribus &c. concessa, ad heredes transire, titulo sc. universitatis.* Quippe nostrum privilegium non particularibus personis, sed aliquibus personarum generibus est concessum, eo tamen non obstante, respondent J Cti dd. ll. illud ad heredes non transire. Idem de pupillorum privilegio affirmat, Papinianus in l. 42. D. de adm. tut. Nec aliud de Militum, Scholarium Minorumque privilegiis dicendum esse arbitramur. arg. l. 196. de R. I. l. 13. C. de Excus. mun. Exemplis si opus esset, plurimis illud ad oculus demonstrari posset. Verum fortassis magis aliorum sententiam ibidem referre voluit, quam approbare. Nam à nobis planè impetrare non possumus, Virum juris callētissimum, id ex sui animi sententia dixisse, Bachov. ad §. sed & quod l. de



*l. de l. N. C. & Civil. vers. personam non transgrediuntur. existimat,*  
 ac si transitus ad heredes facilius sit, in ijs, quæ non uni personæ,  
 sed ordini, aut toti speciei data sunt. Verùm cum in his æquè, ac  
 in illis, ut transire possint, specialis ac expressa legislatoris volun-  
 tas requiratur, fatente ipso Bachov. *d. l. non video*, cur inter hæc  
 duo, huius respectu, differentia aliqua sit admittenda. Cum autem  
 heredes sint, vel sui, vel extranei; an dicta indistinctè procedant,  
 dubitare deprehendimus, *Gloss. in l. 4. D. de priv. cred. & alibi. di-*  
*centem: privilegia personalia ad suos heredes transmitti.* Quod  
 in specie de nostro quoque privilegio affirmat, *Gothof. ad l. 12. D.*  
*sol. matrim. & hoc per l. 18. eod.* Unde etiam nonnulli *in d. l. 12.*  
*legunt heredi extraneo.* Verùm vetera exemplaria refragari, te-  
 stis est *Duaren. ad d. l. 12.* Textus itaque generales, generaliter quo-  
 que accipimus, & dicimus: hoc privilegium nec ad suos, nec ad  
 extraneos transmitti. *Glossæ non solum adversantur adducti tex-*  
*tus, qui ad illius sententiam destruendam sufficerent; verùm illa*  
*etiam perspicuè satis reprobatur ab Ulpiano in l. 1. §. 43. D. de aq. quo-*  
*tid. & est. quodcunq; ibidem inquit, datur personis, cum perso-*  
*nis amittitur, neque ad heredem, vel qualemcunq; successorem*  
*transit, & in l. 3. §. 3. D. quibus mod. ususfr. amitt. Morte quoq; amit-*  
*ti usumfructum, non recipit dubitationem, cum jus fruendi*  
*morte extinguatur, sicuti si quid aliud quod persona coheret.*  
 Nec hilum facit *l. 12. §. 1. C. qui pot. in pign.* quam *gl.* ad suam sen-  
 tentiam confirmandam adducit. Hoc enim ibidem legitur con-  
 stitutum, ut prioris uxoris liberi, uti mater illorum, ratione  
 dotis, gaudeant jure prælationis. Ergo mater transmittit illud ad  
 liberos ut suos heredes? Nulla sequelæ necessitas. 1. Absurdum  
 est, dicere, fœminas suos relinquere heredes. 2. Non tam jure  
 transmissionis, quam benignæ extensionis, sive potius novæ con-  
 cessionis liberi illud prælationis privilegium consequuntur. Quod  
 idem & de casu *l. 18. D. solut. matrim.* est dicendum, quæ non ma-  
 gis *Gothof.* quam *glossæ* sententiam probat. Nam non tantum  
 de suis, sed & de extraneis loquitur heredibus. Si enim filius e-  
 mancipatus patri heres existat, illum *d. l. 18.* non excludit, sed  
 generali vocabulo filij, potius admittit; qui tamen salvis juris  
 nostri principiis non suus, sed extraneus est heres. 2. Nec ad om-



nes suos heredes dictæ legis constitutio pertinet. Si enim pater relinqueret filium, ex priori matrimonio natum, tempore mortis in sacris existentem, ille utique suus esset heres; nec tamen ad illum, beneficium competentia, quo pater ejus gaudebat, jure hereditario transmitteretur: Requiritur enim *in d.l. 18.* ut patris heres, filius quoque sit uxoris, dotem petentis. Apparet itaque, ex hac lege minimè probari, nostrum beneficium ad suos heredes, jure hereditario transmitti; sed potius per benigniorem legis extensionem seu novam concessionem nonnullis liberis ibidem attribui. Antequam ab heredibus abeamus, videamus quid statuendum sit de quaestione ac ejus decisione, quæ reperitur apud Bursium ad l. 4. §. soli. D. quod cum eo qui in alien. potest. An sc. sententia in defunctum privilegiarium lata, adversus heredem in solidum exequi possit? Distinguit Bursius an in solidum, an vero in quantum facere possit, condemnatus sit defunctus. Priori casu affirmat: ad posteriorem vero hisce verbis respondet; *quod si etiam in defunctum condemnatio facta sit, in quantum facere possit, cum hereditati quoque id jus per sententiam questum sit, diversum dicimus, eo quod actori ulteriora exequenti obstat exceptio judicati.* Expositio satis probabilis. Verùm an simpliciter ita accepta, satis firma, meritò dubitamus, existimantes; veram esse hanc expositionem, si respiciat ad actionem judicati, quæ ex sententia in defunctum lata, ad ejus executionem petendam conceditur. Nam Actor hac actione haud majorem, quam sententia comprehendit summam, petere potest. Si vero priorem contra defunctum competentem intelligat actionem, ac si nec illà residuum ab heredibus peti ac exigi possit, illam omninò falsam esse credimus. Obligatio enim, ac indecompetens actio, oppositâ hujus beneficii exceptione, ac sententiâ in quantum facere possit prolatâ, neque ipso jure, neque ope exceptionis in totum tollitur: ad reliquum tantum differtur. Quippe hæc exceptio, cui conformis debet esse sententia, ut dilatoria, non perimit, sed quoad residuum differt tantum causam. Cum ut maximè in minus condemnati sint, quo ad residuum tamen, salva manet contra privilegiarios actio, Bach. ad §. 36. de Actio. Durante itaque obligatione, ac exinde actione, quin heres, qui in universum jus defuncti succedit, ad reliquum quoque obligetur, & nisi beneficio

ficio



ficio inventarij se defendat, ad totalem ejus exsolutionem cogi possit, superstitiosa est sollicitudo *l. 8. C. solut. matrim.* Nec judicati exceptio, quam urget Busius, quò minus heres conveniri possit, impedimento erit. Hæc enim exceptio ultra limites sententiæ non est extendenda: jam vero judex hæc suâ sententiâ non obligationem tollere, sed tantum defuncto, secundum privilegium ipsi competens prospicere voluit, salvâ, quoad reliquum, manente obligatione atque actione; quæ cum ad heredem transeat, extincto competentis beneficio, cur adversus illum efficaciter institui non possit, nihil obstare videtur. Huic quod diximus heredi non competere exceptionem competentis, hanc quoque limitationem seu exceptionem subjicit Mantz. *d. 3. q. 10. n. 38.* si heredi competat ex sua persona: verum quod hæc exceptio non sit de regula, omnes videre existimamus. *In l. 9. D. de pollicit.* specialis continetur casus, qui ad nostram materiam planè non pertinet.

XXXVIII. Fidejussores debitorum privilegiariorum non gaudere beneficio competentis, utpote personali, inter omnes convenit, Jctis passim hoc expressè docentibus, *l. 63. §. 1. D. per soc. l. 41. l. 24. pr. D. re jud. l. 7. D. de except.* Duas limitationes subjicit Mantz. *dec. 3. q. 10. num. 15.* verum neutra est de regula. Cum autem hoc modo beneficium debitori ferè inutile reddatur, fidejussore iterum ab illo solidum repetente; eapropter cautelam quandam tradunt Interpp. de qua videri potest Bachov. *ad §. f. 1. de Act. in fin.* Quid si privilegiarius succedat fidejussori, poteritne ut heres fidejussoris in solidum conveniri; an confusione sublata censetur obligatio accessoria? Prius suadere videtur ratio, quâ dicitur, in simili casu tunc demum tolli confusione obligationem, si principalis plenior vel certè æquè plena sit. Verum hoc non obstante, verius est, confusione hîc sublata esse obligationem, quod non impedit personalis aliqua principalis debitoris defensio docente Papiniano *in l. 95. §. 3. D. de solut.*

XXXIX. Defensores ac procuratores privilegiariorum non minus, ac si ipsi principales in judicio comparerent, hoc beneficio uti possunt, *l. 63. §. 1. D. pro soc. l. 23. D. d. re jud. l. 14. pr. D. sol. matr. ibiq.* Duar. Hillig. *ad Donell. 27. c. 9. Lit. X.* exceptio continetur *in d. l. 23.*

XL. Consideratis personis, quibus competit, veniamus ad *Contra quas*  
 G 1 perso- *personas.*



personas, contra quas locum habet. Ceterum quamquam sanè animus erat, sequentia quoque capita prolixiusculè examinare ac pleniore stylo proponere. Verùm & tempus, & modus disputationes conscribendi nobis aliud imperat; Ideo in reliquis ita nos geremus, ut, promissi memores, brevitatis curam haud negligenter habuisse videamur, accuratiores enodationes aliis relinquentes.

XLI. Parentibus datur contra liberos suos, *arg. §. 38. de Act.* cujuscunque etiam sint gradus, aut sexus, *arg. d. §. 38.* nihilque interest emancipati, an in sacris paternis adhuc sint constituti, *arg. d. §. 38.* De Emancipatis, neminem, qui dubitaret, scimus. Emancipatio enim quamvis solvat civile illud vinculum, patriam potestatem; reverentiam tamen ac pietatem parentibus naturâ debitam, hujus privilegii causam, minimè cessare facit *arg. l. 6. D. de in jus vocand. l. 4. D. d. curat. furios.* Nec si ab alio adoptati fuerint, quò minus parentes naturales contra illos hoc beneficio uti possint, impedimento erit adoptio. Quippe nec emancipatio, nec secuta arrogatio tollit privilegia, parentibus, ob naturalem reverentiam concessa, *arg. l. 8. pr. D. de in jus vocand.* De liberis in sacris existentibus, nonnullos contrarium sentire videmus; Inter quos novissimus *Dn. Joh. Philipp. disp. 2. de carcer. §. 12.* Verùm illorum argumenta tanta non sunt, ut nos in aliam sententiam pertrahere possint, cum ipsi textus, quos adducunt, nostram potius, quam illorum sententiam probent. Quid de filiis legitimis tantum & non legitimis dicendum sit, *ex §. 14. & seqq.* cognosci potest.

XLII. Socero datur contra generum, vel nurum, *l. 15. l. 17. D. sol. matr.* Patrono ejusdemque parentibus & liberis, contra libertos, *§. 38. l. d. Action.* Marito, contra uxorem, *l. 20. D. d. re jud.* & in actione funeraria, contra quemcunque extraneum, *l. 28. D. d. religios. & sumtib. funer.* Uxori contra maritum, *l. 20. D. d. re jud. l. 17. §. 1. sol. mat.* Socio contra socium, *l. 16. D. d. re jud.* Militibus regulariter contra omnes suos creditores, *arg. l. 6. l. 18. D. de re jud.* Donatori contra donatarium suum, *l. 19. §. 1. l. 41. pr. D. eod.* Filio à patriâ potestate liberato contra creditores, quibus se durante potestate obligavit, *l. 2. & tot. t. D. qui cum eo qui in alien. pot.* Qui bonis cesserunt, contra creditores, quos habuerunt ante cessionem, *arg. l. 3. C. de bon. auth. jud. poss. Joh. Uffel. in not. ad Covarr. lib. 2. var. resol. c. 1. n. 5.*

XLIII, Prædictæ autem personæ, contra quas locum habet  
nostrum



nostrum beneficium, ipsæ actiones suas in iudicium deducant, an vero per procuratores agant, nihil interest, Quamvis enim procuratores per litis contestationem litis domini fieri dicantur, *l. 22. C. d. procurat.* & quoad cursum iudicii illorum persona imprimis attendatur, *arg. l. 1. C. d. sent. & inter. locut. arg. l. un. C. d. satisfat.* Attamen quoad causæ merita, jus atque qualitas procuratorem constituentis consideratur, qui prioris actionis dominium non amittit per litis contestationem: Unde in effectu ad eundem omnem sententiæ emolumentum redit, & principalis actionem ex stipulatu, si procurator iudicatum solvi à defensore rei stipulatus sit, & actionem rei iudicatæ, si reus condemnatus, etiam sine cessione, consequitur, *l. 27. inf. l. 28. D. de proc. l. 5. D. d. prator. stipul. Secus ac in extrajudicialibus, l. 49. § f. d. A. & A. P.*

X L I V. Quid de illorum Successoribus dicamus, an & illis hoc beneficium objici possit? De Universalibus, quin ipsis quoque objici possit, nulli dubitamus; quodque de uxoris heredibus expressè traditur in *l. 27. D. sol. matr. ibi Gothof.* De singularibus, puta qui ex causa singulari, i. e. venditionis, donationis, dotis, dationis in solutum &c. idem statuendum censemus *arg. l. 36. solut. matrim.* & de tali quoque casu Vlpianum in *l. 33. pr. D. de jur. dot.* loqui, nec *l. 41. D. rejud.* adversari, quicquid etiam alii dicant, cum Bachov. *ad Tr. v. 2. d. 7. th. 12. L. b.* certum esse credimus. An autem Procurator in rem suam utili, an directa actione agat, nihil inter esse videtur, *arg. l. 33. De rejudic. arg. l. 32. D. solut. matr.* Si quidē cessionarius non melioris conditionis esse debeat, quàm ipse cessans, *l. 156. §. 3. l. 160. §. f. d. R. I. Carpz p. 2. const. 17. def. 19. n. 4.* Si debitor privilegiarius, creditore mandante, tertio stipulanti, quod debetur promiserit, & sic delegatio accesserit, ad discrepantes Ictorum responsiones conciliandas, Interpp. communiter distinguunt: An privilegiarius delegatus tertio stipulanti, simpliciter debitum promiserit; an verò certam summam vel quantitatem determinaverit. De priori casu *l. 32. D. Sol. matrim.* de posteriori verò *l. 41. pr. D. d. rejud. & l. pen. D. d. nov.* accipiunt. Mejer. *Colleg. Argent. tit. d. rejud. §. 35. Brun. de cess. bon. q. 20. quest. quart. princ. n. 14. Duaren. in l. 12. D. sol. matrimon.*

X L V. Illud, quod nonnulli indistinctè tradunt, hoc privilegium contra æquè privilegiarium locum non habere, vix admitti



potest. Fatemur communem regulam, privilegiarium contra æque privilegiarium non posse uti suo privilegio. Verùm quo in sensu illa accipienda sit, nostrum non est, hac vice pluribus explicare. Sufficit nobis, exemplis ex ipsis LL. desumptis demonstrari posse, illam in nostro casu non simpliciter procedere. Uxor gaudet hoc privilegio; maritus tamen uxori hoc privilegium opponere potest, docente Vlpiano in l. 20. de re jud. & contra maritum, licet privilegiarium uxor quoque eo utitur, d. l. 20. aliud exemplum habemus in l. 18. D. solut. matrim. & in l. 63. D. pro soc. l. 16. D. de re jud. Concludimus itaque illud solum, quod creditor inter hos privilegarios reperiatur, non esse sufficientem causam, quominus debitoris privilegium suum possit obtinere effectum.

in quibus  
causis

XLVI. Progrediamur ad causas, in quibus locum habet nostrum beneficium. Parentes propriè ita dicti, item Patroni eorumque liberi & parentes, indefinitè, absque ulla causarum determinatione, hoc privilegio gaudere dicuntur, §. 38. I. de Act. l. 16. D. de re jud. l. 7. de obseq. par. Gaudeant itaque, illi suo privilegio, illud ad certas causas restringere, nobis religio est. Socero uxoris conceditur in causa dotis, l. 15. §. 1. l. 53. sol. matrim. quod Mejer. in Coll. Arg. tit. de re jud. th. 34. ad cæteras quoque actiones extendit. per l. 21. D. de re jud. De Mariti Socero major est difficultas; quid nobis de ea videatur, paucis: Illum sc. ex promissione dotis, matrimonio durante, in quantum facere possit; eo vero soluto regulariter in solidum conveniri posse, l. 17. sol. matrim. junct. l. 21. D. de re jud. l. pen. D. de jur. Dot. Maritus defenditur hoc beneficio, si dotis nomine conveniatur, §. 37. I. de Act. l. 17. D. de re jud. l. un. §. 7. C. derei uxor. act. res autem dotalis adhuc existat, an consumpta sit; reali, an personali agatur, nihil interesse putamus, arg. d. l. 17. l. 20. D. de re jud. l. 53. D. solut. matr. Neque verenda est, doli exceptio, quam nonnulli marito rem penes se habentem non restituenti obijci posse, existimant, arg. l. qui suo jure de R. I. Imò in omnibus actionibus, quæ ex contractu proveniunt, marito prodesse hoc privilegium docet nos Vlpian. in l. 20. D. de re jud. Nec interest constante, an soluto matrimonio agatur, arg. dd. ll. l. 8. C. sol. matr. sive causa actionis matrimonium præcesserit; sive eo contracto originem suam acceperit; modò solutionem matrimonij non secuta fuerit, l. 35. D. de neg. gest. Donell. 27. Comm. 9. & de hoc casu, nisi  
limi-



limitatio, quam tradit Mantz. *dec. 3. q. 1. n. 56.* accipiatur, falsa erit. Funeraria actio, quæ licet soluto demum matrimonio oriatur, in solidum tamen contra maritum non datur, *l. 27. l. 28. D. sol. matr.* De uxore idem, quod de marito dixit, asserit Modestinus in *l. 20. D. de rejud.* ibi: *quod & in persona mulieris equâ lance servari æquitatis suggerit ratio.* Principaliter tamen respectu mulieris hoc beneficium necessarium erit, post matrimonium solutum. Nam eo durante ipse maritus uxorem alere tenetur, *l. 13. C. de negat. gest. l. 22 §. 8. sol. matrim.* Socius utitur illo in actione pro socio, alijsque respectu societatis competentibus, *arg. l. 63. pro soc.* In Militibus ad nullas causas certas restringitur, *l. 6. l. 18. de rejud.* Hinc communis Dd. schola illud admittit, etiamsi negotium, ex quo agitur, ante militiam, vel extra expeditionem contractum sit, nec causam militiæ concernat, Erenk. *tr. de privil. milit. lib. 2. priv. 19. num. 4. Coll. Arg. d. 9. 34.* Nisi alieno ære gravati, dolò militiæ nomen dederint, quod nostris moribus frequentissimum inopiæ asylum. Secus ac olim apud Romanos, qui non facilè viliores in militiam legebant, sed divites, honestos & quos res privata rei quoque publicæ alligaret. Donator utitur suo privilegio, si ex causa donationis conveniatur, utrum autem actione ex stipulatu, an vero conditione ex lege agatur, nihil interest, *l. 33. D. de don.* Imò, si donatum constituerit, aut prædictis actionibus condemnatus fuerit, adhuc donator in actione de constituta pecunia, aut actione rei jud. in quantum facere potest, condemnatur, *l. 41. §. 1. D. de rejud. l. 33. pr. D. de donat.* Filius, in causis constante patria potestate contractis, & ex quibus patri acquirebatur, *t. t. D. quod cum eo qui in alien. potest.* Si itaque filius. ratione peculii Castrensis vel qs. Castrensis vel adventitij, imprimis illius, cujus plenum dominium habet, secundum *l. 8. C. de bon. qua. lib. & Nov. 117. c. 3.* alicui obligetur, soluta patria potestate, ex hoc titulo, hoc privilegium minimè sibi vindicare poterit. Moribus nostris, præsertim in foro Sax. cum filiusfam. consensu patris mercaturam exercens, quoad illam negotiationem emancipatus intelligatur, ac exinde sibi ipsi acquirat teste Georg. Schulz. *Synop. Inst. tit. quæ cum eo qui in alien. pot. efficaciter in solidum conveniri poterit.* Qui bonis cesserunt, in causis ante cessionem contractis, *arg. l. 3. C. de bon. autor. jud. poss.* Illud generaliter sciendum est, in causis ex delictis provenien-



venientibus privilegium competentiae locum non habere, l. 52. D. de re jud. l. 21. §. f. D. rer. amot. l. 4. §. 2. D. quod cum eo qui in alien. potest. arg. l. 26. D. de testam. milit. l. 31. in fin. D. deposit.

Vini.

XLVII. Cæterum, quem in finem Legislator, supra enumeratis personis, contra prædictas personas, in causis jam propositis hoc privilegium concesserit; ipse Imperator Justinianus in §. 37. l. de Action. explicat, & quidem hisce verbis: *placet eatenus maritum condemnari debere, quatenus facere possit: id est, quatenus facultates ejus patiuntur. Itaque, si dotis quantitati concurrant facultates ejus, in solidum damatur, si minus, in tantum, quantum facere potest.* Iisdem fere verbis describitur à Jctis passim in ll. à nobis adductis: Verùm cum hoc commune videatur omnibus debitoribus, à quibus utique, ultra quam possunt & est in bonis, nihil exigi potest. Quid enim ultra à debitore sperari potest, quàm quò facultates ejus sese extendunt? Secundum commune: *Wo nichts ist / da hat der Kayser sein Rechte verlohren.* Ea propter quæ sit illorum verborum vis ac potestas, ut probè intelligatur, audiamus authenticum illorum interpretem, Pomponium qui in l. 30. D. de re jud. ita scribit: *actio in id, quod facere possit, danda est, ita ut & ipsi donatori aliquid sufficiens relinquatur.* Pinguiùs itaque dicta verba in hoc privilegio accipiuntur; nimirum, ut debitori privilegiario aliquid ad suam, suorumque sustentationem relinquatur. Cum autem Pomponius in d. l. 30. de donatore loquatur, ne quis ejus explicationem ad cæteros non pertinere, existimet: producamus & Jctum Paulum, idem in genere asserentem: *in condemnatione personarum, inquit, in l. 173 de R. I. quæ in id, quod facere possunt, condemnantur, non totum, quod habent, extorquendum est, sed & ipsarum ratio habenda est, ne egeant.* Quis amplius dubitat de generali nostra sententia, tam eleganti textu probatâ? Huic quoque sententiæ favere videtur vulgaris lectio, in l. 43. De sol. matrim. (aliter tamen Norica) Neque ex eo, quod d. l. 173. ex eodem libro, ex quo l. 19. de re jud. quæ de certis tantùm personis loquitur, sit desumpta, generalitas ejus statim restringenda erit. Equidem antequam quis nobis ostendat, Jctum Paulum in lib. 6. ad Plautium de cæteris personis non egisse,

ab ejus



ab ejus generali regula non recedimus; sed illi firmiter inhærendum esse, intrepidè asserimus: cum & ipse Imperator hanc regulam generaliter proposuerit, & absque ulla restrictione approbaverit.

XLVIII. Effectus, & quidem immediatè ex nostro privilegio proveniens, est exceptio, *l. 7. pr. D. de Except. l. 17. §. 2. D. sol. matrim.* quam competentia quoque vocant Dd. quâ mediante, cætera quoque hujus beneficij emolumenta obtineri possunt. Nam Reus, vi hujus privilegij ipso jure ab obligatione, qua adstrictus est, haud liberatur: sed adhuc in solidum est & manet obligatus; Actorque solidum petens non nulliter, sed exceptione oppositâ, non efficaciter agit, Reo saltem, in quantum facere potest, condemnato. Nec oppositâ hac exceptione, competens actio tollitur; cum ut maximè in minus condemnatus sit, in residuum salva maneat actio, & saltè, donec reus ad pinguiorem fortunam perveniat, differatur, *l. un. §. 7. C. de rei uxor. act. l. 8. C. solut. matrim.* Hinc in eum eventum cautionem præstare jubetur maritus, *d. l. un. §. 7.* quam tamen cautionem haud rectè de satisfactione accipit Hart. Hartm. 2. tit. 18. §. 2. n. 9. cum generali cautionis vocabulo regulariter nuda promissio intelligatur, *l. 3. C. de V. & R. S.* quod specialiter in causa socij docet Ulpian. *in l. 63. §. 4. D. pro soc.* Ex dictis cognoscimus, hanc exceptionem, non ut voluit Joh. Uffel. *in not. ad Covarr. lib. 2. var. resol. c. 1. n. 4.* peremptoriam, sed revera dilatoriam esse, uti Donell. 27. c. 9. & Zanger. *de Except. p. 2. 13. num. 1. & seqq.* rectè quoque docent. Quamvis enim exceptio competentia post litem contestatam, imò & post sententiam latam, in ipso quoque executionis actu opponi possit, *l. 41. in fin. D. de re jud. Carpzov. p. 1. const. 32. d. 15. n. 9. & seq. præjud. ibi:* Daß selbige exceptio gleich andern dergleichen / auch bey Verrichtung der sequestration oder execution vorgeschuzet werden mag etc. Attamen cum tantum differat, non vero tollat actionem, in qua essentia dilatoriarum consistit, adhuc dicimus, illam dilatoriam esse: siquidem, ut ante litem contestatam opponantur, de illarum essentia non est. Ludw. *in not. M. S. ad W. π. tit. de except. n. 7.* Ad hanc sententiam confirmandam adhuc alia utitur ratione Zang. *d. l. deinde,* inquit, *constat, eum qui hâc exceptione tutus est, non posse solum per errorem repetere, quod sane fieret, si perpetua esset exceptio.*

H

eandem



Eandem quoque rationem legimus apud Duar. in l. 19. pr. D. de re jud. Verum ut ad illam, haud satis firmam, fugiamus, nulla nos cogit necessitas, nostra sententia priori ratione satis superque probata. Ut enim Zangeri ratio formaliter concluderet, ita concipienda esset major. Quaecunque exceptio non impedit conditionem indebiti, illa perpetua non est. Hanc vero propositionem non esse universalem ostendit exemplum exceptionis Jcti Macedon. quæ ipso Imperatore fatente, perpetua est; ne tamen solum repetatur, efficere haud potest, l. 10. D. ad Sct. Maced. l. 40. D. de condict. indeb. Aliud exemplum habemus in exceptione rei judicatae. l. 60. D. de condict. indeb.

Ratione officij  
judicis.

XLIX. Exceptione competentiae ante vel post litem contestatam opposita, judicis erit, ejus rationem habere, & reum privilegiarium, ultra quam facere potest, non condemnare, l. 20. l. 21. D. de re jud. §. 37. I. de act. Si vero errore juris lapsus in solidum condemnaverit, doli exceptione reustus erit, l. 17. §. f. D. solut. marr. Caterum si neglecta hac exceptione à reo opposita, judex scienter contra privilegium reum in solidum condemnaverit, distinguendum censemus: an contra jus partium; an vero contra jus constitutionis judicaverit. Priori casu non dubitamus, sententiam valere, & nisi legitimis remediis suspendatur, illam in rem judicatam transire. Quippe ex justa causa hoc fecisse praesumitur. Imò etiam si ex gratia factum fuerit, tamen valet sententia & pro veritate habetur, l. 65. §. cum prator. D. ad Sct. Trebell. Posteriori casu sententia, utpote ipso jure nulla, nihil reo praedjudicare potest, l. 2. C. quando prov. non est necessaria. l. 1. §. 2. D. qua sent. sine appellat. l. 27. D. de re jud. Si ante sententiam omissa, post illam demum, vel in ipso executionis actu opponatur, adhuc judicis officium erit, ut rei, ne egeat, rationem habeat, l. 41. in fin. D. de re jud. Carpz. d. def. 15. Quid vero si reus planè non opponat hanc suam exceptionem; poterit ne judex illam supplere? quod regulariter negandum videtur. Facti enim sunt exceptiones, & propterea in judicio opponendae; nec judicis est, illas supplere, & sic Rei sive Advocati partes subire, Baehov. ad tr. v. 2. d. 26. th. 6. l. c. Secutà sitaque executione in solidum, aut aliter solutione in solidum facta, de alio remedio, quo sibi de alimentis prospiciat, Reus sit sollicitus. Hoc frustra amplius implorabit; denegatà quoq; indebiti conditione, l. 9. D. de condict. indeb.

L. Quan-



L. Quantum vero in executione deducendum & Reo sit re- *Ratione de-*  
 linquendum, certâ Regulâ definiri haud potest. Facti enim quæ- *ductionis.*  
 stio est, ac eapropter judicis arbitrio relinquenda, qui æstimatâ pa-  
 trimonij quantitate, consideratâ & Actoris & Rei qualitate, ut  
 Vir bonus, cujus officium gerit, quid, quantumque relinquendum  
 sit, prudenter definiet. Idem sentit Hart. Hartm. 2. tit. 18. obs. 2. n. 3.  
 ibi: *relinquatur ipsi competens victus, secundum judicis discre-*  
*tionem, consideratâ personæ qualitate,* quo respicit quoque re-  
 sponsum Dn. Scabinor. Lipsiens. quod refert Dn. Carpz. p. 1. c. 32.  
 l. 16. ibi: *Jedoch auff des Lehnherrn/ vnd dessen verordneten Execu-*  
*torn gutachten vnd ermesigung.* Congessit hâc de re multa Ge-  
 org. Mantz. in sape cit. tr. dec. 3. q. 3. & 4. quæ omnia hâc vice ex-  
 aminare nobis ad finem properantibus integrum haud est. Suffi-  
 ciat generaliter attingere: Pinguis prospiciendum esse Dona-  
 tori, quam cæteris privilegiarijs debitoribus. In donatore & æs  
 alienum deduci oportet, l. 19. §. 1. l. 49. D. de re jud. l. 54. D. sol.  
 matrim. excepto eo, quod ex eadem causa alijs debetur, inter quos  
 occupantis conditio melior erit, l. 12. D. de donat. d. l. 19. §. 1. In  
 cæteris æs alienum non deducitur, l. 16. l. 19. §. 1. l. 49. D. de re jud.  
 l. 54. D. solut. matrim. quibus minimè obstat, l. 3. D. quod cum eo qui  
 in alien. potest. pro nobis enim respondet Badius ad d. l. 3. Donell.  
 27. cap. 9. Ludw. in not. M. S. ad Wesenbr. d. t. quod cum eo qui in  
 alien. post. uti nec l. 53. sol. matr. ex diversa enim causa ibi fit dedu-  
 ctio: In hac autem æstimatione iudex ad tempus rei judicatæ re-  
 spicere debet, l. 15. D. sol. matrim. l. 63. §. tempus. D. pro socio. ita ta-  
 men ut & familiæ rei, ejusq; dignitatis rationem habeat. *Das ihnen*  
*ihrem Stand nach/ die alimentia vnd jährliches Auskommen/ so wol*  
*zu ihrem/ vnd der ihrigen Unterhalt re. in respons. Dnn. Scabin.*  
 Lipsiens. supra adducto. Dn. Carpz. d. c. 32. def. 16. & 17. Cum No-  
 bilibus ampliora, quam plebejs debeantur alimentia, Carpz. d. def.  
 16. Limnæ. de jur. publ. lib. 6. c. 4. n. 51. Illud etiam æquitati &  
 veritati juris consentaneum videtur, alimentia, vi hujus beneficij,  
 privilegiarijs debitoribus relicta, ab alijs creditoribus, cõtra quos  
 non locum habet beneficium, auferri non posse, arg. l. 6. D. de cess.  
 bonor.

L I. Ex iis, quæ diximus, suâ sponte fluit, quod Dd. passim *Ratione Per-*  
 tradunt, debitores hosce privilegiarios, ob causas, in quibus locum *sonarum.*  
 H 2 habet



habet hocce privilegium, incarcerari non posse, Hart. Hartm. *lib. 2. §. 18. obs. 2. n. 6.* Covarr. *lib. 2. var. resol. cap. 1. n. 4.* nec si statutum generale de debitore non solvente in carcerē conjiciendo, in uno vel altero loco extaret. Statuta enim recipiunt interpretationem passivam à jure communi, Dn. Frantz. *Comm. 7. tit. de LL. n. 16.* Hinc rectè Mevius *d. jur. Lubec. lib. 1. tit. 3. art. 1. n. 51.* privilegiarios hocce excipit à statuto Lubecensi, quo in creditoris est arbitrio, an debitore ad cessionis beneficiū admittere, an verò mōcipio eum accipere velit. Et in for. sax. ubi debitores oberati ad manus creditoris traduntur, vel in publicum carcerem conjiciuntur, unanimi interpretum consensu nostri privilegiarii excipiuntur, Berlich. *p. 2. conclus. 28. n. 36.* Præterea nec bonis cedere coguntur. Johan. Uffel *ad d. c. 1. n. 4.* Hart. Hart. *d. l. n. 6.* Mantz. *dec. 3. q. 1.* Multa, ac imprimis contraria, de quibus satis prolixè Mantz. *decad. 3. q. 7. & seqq.* hîc quoque essent examinanda; verum & tempus & instituti ratio jubent nos hâc vice quiescere. Multa, uti ipsi fatemur, omisimus; multa, ut vides, summo saltem digito attigimus, modò ut brevitati consuleremus. Ut tamen amplior sit disputandi materia, liceat nobis sine temeritatis, aut arrogantiae suspitione (quam & innocentes sæpè incurrunt) ex amœnissimis Jctorum hortis flores decerpere & coronidis loco adspargere. Flores erūt; non fruges maturæ: autumnale enim tempus nondum instat; floresque præcedunt fruges. Flores si non omnes omnibus grati, nec omni ex parte perfecti, Cogites, Benevole Lector, Vere novo illos expullulasse, & si non adultum, præceps tamen perfectiores esse producturum.

*l. l. Dig.*

I. Ius naturale non de iis tantum agit, quæ citra voluntatem humanam existunt, sed de multis etiam, quæ voluntatis humanæ actum sequuntur. Licet itaque dominium, quale nunc in usu est, voluntas humana introduxerit: attamen eo introducto, si quis invito domino rem arripiat; dictatum rectæ rationis indicat, illi actui ex disconvenientia cum ipsa natura rationali, inesse moralem turpitudinem, ac consequenter ab Auctore naturæ DEO talem actum vetari. Quare rectè furtum naturali jure prohibitum dixit Jctus Paulus, & naturâ turpe, Ulpianus.

II. Multa



II. Multa ad legem naturæ à multis referuntur; quæ quidem à natura descendunt, nequaquam vero à lege naturæ. Quid de libertate, maris ac fœminæ conjunctione, liberorum procreatione dicamus ?

III. Aliquid juris naturalis esse, vel non esse, & à priori, & à posteriori demonstratur; quorum posterior probandi modus non rarò non procedit. Nec si aliquid nonnullæ gentes non observent, exinde statim concludendum, illud juris naturalis non esse. Nam prava educatio, & publica peccandi consuetudo interdum extinguunt, illud non minus his gentibus, quam aliis congenitum lumen, efficiuntque lege naturæ qs. oppressa, quæ adversantur illi maxime, partim licita, partim etiam honorata videantur.

IV. Nonnulli omnes conclusiones ex juris naturæ principiis, & necessario per modum conclusionis, & probabiliter per modum arbitrariæ determinationis deductas, juri Gentium adscribunt, & sic jus Naturæ & Gentium, eorumque præcepta confundunt. Quod maxime faciunt, qui & ex principiis legis naturæ nonnulla juri Gentium adscribunt.

V. An præcepta Juris Gentium vi legis obligent ?

VI. Jurisdictio non probatur receptione collectarum.

L. v.

VII. Mixtum Imperium competit jure Magistratus.

VIII. Iudex, qui Dd. dicitur delegatus, & à Iudice pedaneo, & ab eo, cui mandata est Jurisdictio, aliquid participat: & sic ex utroque mixtum faciunt Dd.

IX. Etiam in notoriis requiritur citatio.

X. Ex pluribus cautionibus unius debiti, debitori unâ redditâ, remissum censetur debitum.

XI. Reum, pœnam jure definitam, aut rem actione petitam offerentem infamiam effugere, utut quoad contractus, minime tamen quoad privata delicta, juris analogiæ est conveniens.

XII. Ex eo, quod quis instrumenta ad causam pertinentia habet, haud sufficienter probatur mandatum.

XIII. Procuratoris dolus nocet domino. Ne limitatio illa, ac si dominus, procuratore non solvendo existente, in dolo-  
sis ipso jure tutus sit, in culposis verò restitutionem in integrum impetrare possit, ex veritate juris defendi potest.

H 3

An



XIV. An & quando procurator in rem suam, defendere teneatur?

XV. Negotium alienum, ut suum gerens, agere & conveniri potest negotiorum gestorum actione.

L. 4.

XVI. Etiam rei minimæ regulariter in jure nostro ratio habetur.

XVII. Actio quod metus causa, quoad quadruplum adhuc anno finitur.

XVIII. Minores contra præscriptionem 30. annorum in integrum non restituuntur.

XIX. In quæstione, an in causa minorum restitutio contra tertium extendatur, distinguimus: & si tertius in mala fide, indistinctè affirmamus; si in bona fide, tunc demum, si necessitas, aut evidens minoris utilitas illud suadeat. Fit autem illa extensio aut prætoriâ cognitione, aut rescissâ alienatione, dato in rem judicio.

XX. Compromissum in delictis famosis non valet; nec distinguimus civiliter, an criminaliter agatur.

L. 5.

XXI. Per litis contestationem demum res fit litigiosa, etiam in realibus actionibus.

XXII. Rescisso testamento per querelam inofficiosi testamenti à fratre institutam, legata non debentur.

XXIII. Contra emptorem rei singularis, nec utilis hereditatis petitio datur.

L. 6.

XXIV. In rei vindicationis judicio, ut illud subsistat & reus condemnari possit, sufficit dominium etiam post litem contestatam superveniens, & hoc non tantum de jure canon, sed & de jure civili.

XXV. An detur publiciana contra possessorem pro herede? D.

XXVI. Argumentum illud, contra quem datur R. Vindictio, contra illum quoque datur publiciana, non procedit.

L. 7.

XXVII. L. 4. D. de Usufr. non loquitur de causali.

XXVIII. Usufructuarius contra extraneum habet utilem servitutem vindicationem.

XXIX. Amittitur usufructus non utendo 10. aut 20. ann. nec quicquam interest, in re soli, an mobili sit constitutus.

Vicinus



XXX. Vicinus vicino suo, ut contra formam & modum statuto definitum, ædes suas, jure servitutis altius tollere possit, concedere haud potest. L. 8.

XXXI. Si pecus ad hoc immissum gramina in alieno fundo depascat, concurrat & actio ex L. Aquil. & actio ex LL. 12. Tabul. de pastu; non vero actio si quadrup. paup. feciss. dic. L. 9.

XXXII. Non semper ob culpam levissimam datur actio ex L. Aquil.

XXXIII. Canem irritans, ut mordendo damnum daret, utili L. Aquil. non prætoriâ in factum actione tenetur

XXXIV. Maritus in uxoris castigatione modum excedens, non tenetur. L. Aquil. actione.

XXXV. L. 25. §. 16. fam. ercisc. non probat in negotiorum gestione minimam culpam esse præstandam. L. 10.

XXXVI. Actio familiæ ercisc. & comuni dividendo 30. annis præscribuntur.

XXXVII. Actio ad exhibendum est personalis in re scripta.

XXXVIII. Marito de uxore corrupta datur utilis actio, ex edicto de servo corrupto. L. 11.

XXXIX. Non nemo accipit l. f. §. 1. vers. item si servus, D. de Aleator. de pecunia mutuò accepta, & exinde generaliter concludit: Tertium, qui pecuniam ad lusum illicitum, sive scilicet, sive ignoranter, mutuò dedit, conditionem non aliter habere, quam si adhuc pecuniam salvam habeat. Verum quum rectè videamus.

XL. Debitum in chirographo confessum, nondum tamen acceptum, partem ejus vel usuras solvendo, agnoscens, amittit exceptionem non numeratæ pecuniæ. L. 12.

XLI. Si quis hodie confiteatur, se ante annum accepisse, illi non competit exceptio non numeratæ pecuniæ; quamvis locum habeat exceptio non solutæ pecuniæ?

XLII. Iuramentum judiciale & extra judiciale revocari possunt

XLIII. Quæ juramenta in causis matrimonialibus sunt admittenda?

XLIV. An propter causam impossibilem datum condici possit? D. inter causam naturâ, jure, vel factò impossibilem.



XL V. An, si promittentis tantum sit turpitude, promissum exigere possit?

XL VI. Plus operatur causa turpis & injusta, quam nulla.

XL VII. Ratio in l. 40. de condict, indeb. ab odio & favore debitoris & creditoris desumpta, perpetua non est,

L. 13. XL VIII. In conditione furtiva aestimatio non restringitur ad litis contestationem.

L. 14. XL IX. An debitum, cui obstat exceptio J Cti Macedoniani, constitui possit? Aff. quid si exceptio S Cti Vellejan. aut rei judicatae, obstat?

L. Filius patriâ potestate liberatus, partem debiti contra S Ctum Maced. contracti solvendo, totum debitum agnoscere videtur.

L. 15. LI. Actiones ex contractu servorum & filiorum famil. adversus patrem vel dominum porriguntur, aut ob illorum consensum, aut ob permissionem. Consensus est vel generalis, ut in actione exercitoria & institoria; vel specialis, ut in actione quod jussu. Promissio etiam est duplex: generalis, quæ locum facit actioni de peculio; vel specialis, ob quam actio tributoria, an vero actio quod jussu ob solam scientiam?

L. 16. LII. Si creditor ignoraverit Mulierem intercedere, quæritur an locum habeat S Cti Vellejan. exceptio? D.

LIII. An S Ctum Vellej. & Macedon. excludant compensationem?

LIV. In quæstione, an compensatio, quæ obstat domino, actiones suas cedenti, possit quoque opponi cessionario, distinguunt nonnulli: an cessionarius utili, an directa actione agat; ibi negando, hîc vero affirmando respondentes. Verum quæritur an rectè?

L V. In deposito irregulari privilegia depositi vix locum inveniunt. Hujus occasione de quæstione satis intricatâ, an & quando irregulare videatur, quandoque in mutuum transeat, mentem nostram aperiemus.

L VI. Non tam securè negotiorum gestor, alium substituere potest, quam depositarius.

L VII. Honorarium certum mandatario, pacto incontinenti adjecto promissum, actione mandati petitur.

Actio




X 2615891

VD 77











Seite 65 / fehlt!

6. 81

*M*

1647/1

2

8

Ipsa Iustitia Præside,  
DISPUTATIO INAUGURALIS;  
DE

BENEFICIO COMPETENTIÆ,  
JUSSU ET AUTORITATE

Magnifici ac Amplissimi Ictorum ordinis in perantiqua ac  
celeberrima Tubingensium Vniversitate,

MODERATORE

*Magnifico, Amplissimo & Consultissimo*

**DN. JOACHIMO WIBELIO, Jcto, Crimi-**  
narium Sanctionum & feudal. placit. Professore, Supremi Ducatus Wür-  
tembergici Tribunalis Adfessore dignissimo, & p. t. Rectore Magnifico  
ac Iuridicæ Facultatis Decano, Fautore & Promotore suo  
maximè honorando

*Pro*

Summis in utroq; jure honoribus ac privilegijs ritè ac  
legitimè consequendis,

*In Aula Novâ, Die Decembr.  
hor. consuet.*

Publico Eruditorum examini  
subiecta

à

**WOLFGANGO ADAMO Lauterbach/  
Schleitzâ Varisco.**

Tubingæ, Typis

**PHILIBERTI BRUNNI,**

M. DC. XLVII.

*Ad ipsam de Lauterbach  
dis. p. 15. V. 11.  
1647/1*

